



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

Liber XCIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)



HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER XCIX.



BONIFACIUS IX, DEIN INNOCENT. VII,  
TUM GREGORIUS XII SUMMI  
PONTIFICES.

WENCESLAUS, DEINDE RUPERTUS OC-  
CIDENTIS, MANUEL PALÆOLOGUS  
ORIENTIS IMPERATORES.

§. I.

*Nicolai Clemangii epistola de concor-  
dia Ecclesiæ.*

Parisina Universitas ad renovandam Ec-  
clesiæ concordiam semper intenta Sæcul. XIV.  
A. C. 1394.  
Regem, ac patruos ejus, ut eandem  
urgerent, magnopere stimulabat; præser- J. Juven.  
p. 104.  
tim post inducias an. 1394 inter Franciam,  
Angliamque ad quadriennium factas. Hist. Univ.  
to. 4. p. 585.  
Eodem tempore Parisios venit Cardina-

Hh 3

lis

Sæcul. XIV  
A. C. 1394.

lis Petrus Lunius per prætextam causam concordiae, sed re ipsa, ut eam clanculum impediret. Colludebat cum Biturigum Duce Clementis defensore studiosissimo, qui ei denegabat nihil, seu ille beneficia clientibus conferri suis, seu decimas imponi Clero cupiebat. Non ideo cedebat Universitas fulta per Burgundiae Ducem ad concordiam probe affectum.

Nicolai Clemangii libellus de concordia, quem in forma epistolæ ad Regem componere iussus fuerat, pridie Pentecostes 6 Junii an. 1394 in Universitatis conventu generali apud Cistercienses habito lectus, probatus, ac Regi traditus est trigesimo ejusdem mensis. Summam illius vide! *Auguste Rex!* tuo jussu ad quærendas pacis ecclesiasticæ vias brevissimas per Procuratores congregati tres invenimus modos præ reliquis idoneos, cessionem, compromissum, & concilium. Cessio est amborum se Papas dicentium plena, & absoluta abdicatio totius juris, quod ad pontificatum habent, vel habere se contendunt: seu hæc fiat coram convocatis duobus collegiis Cardinalium: seu Papa uterque suo Collegio præsentem, aut aliter eam faciat. Et declarata hac cessione duo Collegia unum eligerent Papam.

Hanc viam, Rex, cæteris præferimus ut expeditissimam, aptissimamque finiendo schismati. Est facillima ad evitandas

p. 687.  
*Spicil. to 6.*  
p. 81.

das molestias, sumptus, ac reliquas difficultates. Est tutissima ad placandam conscientiam omnium Christianorum alterutri Papæ adhærentium. Est demum habilissima ad removendam offensionem, conservandumque honorem Principum, ac regionum alterutri parti studentium. Ipsi duo æmuli, ut existimationi suæ consulant, debent hanc inire viam, ne diligentior rei consideratio si fiat, alteri, vel utrique vertat in dedecus. Debent perpendere tristissimam dispersionem Christiani gregis, cujus pastores se nominant, ac de quo terribilem Deo rationem reddent. Denique hæc actio gloriam eis apud posteros immortalē pariet.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1394.

Altera via est concilium paucorum, seu compromissum: si nempe duo æmuli arbitros illustres sumerent, suæque controversiæ decidendæ facultatem eis plenam darent. Sic evitaretur difficultas concilii generalis; ac præveniretur calliditas illorum, qui ajunt Clementem suum jus periculo commissurum; quia partis adversæ fautores, nempe Itali Episcopi majorem conficerent numerum. Hanc per viam res citius absolveretur: quia, qui fugere illam vellet, se redderet suspectum de agnita causæ suæ injustitia. Nec dicat aliquis Papam nulli posse homini se submittere: de suo agendi modo rationem reddere solus non tenetur Deus.

*Spic. p. 86.*

Sæcul. XIV.  
A. C. 1394.

Via tertia est concilium generale, quod secundum formam Juris deberet solis ex Præsulibus constare: sed cum hodie nostrum dedecus multi sint rudes, multi studio partium teneantur, possent illis adungi numero pares Theologiæ, ac Juris Doctores ex inclytis ambarum partium Universitatibus, aut etiam Procuratores Collegiorum cathedralium, præcipuorumque Ordinum religiosorum. Demonstrat postea concilium fore utile non solum extinguendo schismati, verum etiam instaurandæ disciplinæ. Tum addit: Ut rem dicamus ingenue: si alter æmulum has tres vias pertinaciter respuat, nec aliam satis idoneam proponat, censendus est schismaticus obstinatus, ideoque hæreticus. Non pastor Christiani gregis, sed deceptor est, ac tyrannus: non ei præstari obedientia, non concedi regimen, vel usus patrimonii Ecclesiæ, sed tanquam lupus periculosus procul a grege abigi debet, ac severissimis schismaticorum poenis affici; quia non angitur ex dispersione, jacturaque gregis, nec aliud quidquam cogitat, quam indulgere aviditati suæ infatiabili.

p. 95.

Vide, quibus author coloribus depingat tristem Ecclesiæ statum ex schismate! Incidit in servitutem, inopiam, & contemptum direptioni obnoxia. Ad præfecturas sacras evehuntur indigni, corrupti

ruptique homines, quos nulla æquitas, honestas nulla tangit explendis tantum infanis cupiditatibus suis intentos. Spoliant Ecclesias, & cœnobia: sacra & profana omnia susque deque habent, dummodo pecuniam inde auferant: Ecclesiæ Ministros pauperes intolerandis premunt exactionibus; & has faciunt per homines inhumanos, qui parcunt nemini, nec vitæ subsidia relinquunt: Sacerdotes passim cernimus mendicantes, & ad vilissima compulsos servitia. Multis in locis venduntur Sanctorum reliquiæ, cruces, calices, sacraque vasa omnia, dummodo aurea sint, vel argentea: templa corrue-  
re videmus.

Mercatus sacrilegus ita dominatur in Ecclesia, ut illi poene omnia subjecta sint. Gratias sine pecunia pauci, & ii ægerri-  
me impetrant: nummatus potest dormire placide: non est, quod metuat. Sacrorum nundinatio vel pravissimis, sed opulentis beneficia fructuosa, præsertim paroecias tribuit: spernit pauperes quantumvis eruditos: immo quo doctiores sunt Clerici, eo magis hos odit, quod ipsam damnent liberius, nec adhibeant ad obtinenda beneficia. Quod plus dolendum: venduntur ipsa Sacramenta, maxime sacerdotium, & solutio a noxis: sic ad dignitates ecclesiasticas promoventur imperitissimi, abjectissimique homines.

Hh 5

Quid

Sæcul. XIV.  
A. C. 1394.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1394.

Quid dicamus de re Divina ubique imminuta, multisque in locis prorsus omiffa? quid de moribus, virtutibusque veteris Ecclesiæ ita oblivioni datis, ut Patres, si redirent, vix credere possent, hanc esse eandem Ecclesiam, quam olim gubernarint? Denique hoc infaustum schisma sanctam religionem nostram exponit ludibrio Ægyptiorum, cæterorumque a Christiana fide alienorum amplissimam nobis insultandi occasionem nactos se putantium: hoc schisma confidentiam affert hæreticis, qui efferre capita impune, ac errores suos disseminare saltem clanculum incipiunt, ita ut fides cunctis ex partibus impugnetur.

*Labour.*  
p. 267.

*Id. ibid.*

Rex lectam coram se hanc epistolam, quam boni consulere videbatur, commo-  
dius examinandam Gallice reddi voluit: nam Latine scripta erat ex more Universitatis. Oratoribus præstituit diem, qua responsum acciperent. Sed interim Cardinalis Lunius ita mutavit Aulæ animos, ut illa die Cancellarius Arnaldus Corbejenfis Oratoribus Universitatis diceret: Rex hac de re nihil audire vult amplius. Præcipit omnino, ut inde absistatis, nec ullas recipiatis litteras hac de materia, quas sibi non afferatis claufas. Universitas, cum propositum urfisset frustra, lectiones, concionesque sacras, ac reliqua instituti sui exercitia omisit, donec obtinuit æquum. In

Interim 5 Jul. 1394 Coloniensis Uni-  
 versitas Parisinæ scripsit, magnopere lau-  
 dans schismatis extinguendi studium, quo  
 hæc arderet, & conatus, quos ideo apud  
 Regem caperet. Addebatur in epistola:  
 Nos haud dubitamus de bono jure Papæ  
 Bonifacii: & vos quidem sentire aliter  
 scimus: attamen, si ecclesiasticæ pacis ef-  
 ficiendæ modum aliquem bonum vobis  
 inspiraverit Deus, illum nobis declaretis,  
 precamur. Respondens Universitas Pa-  
 risina probat optimam Coloniensis men-  
 tem; suadebat vero, ut a Bonifacio ad  
 Clementem transfiret.

Rex suæ Universitatis epistolam ad se  
 scriptam misit Clementi: quem ipsa dein  
 per litteras oravit, ut eam, & proposi-  
 tas ibi tres ad concordiam vias respice-  
 ret. Querebatur graviter de Cardinali  
 Lunio, quem tamen haud nominabat.  
 Is primum, ajebat illa, nostrum Regis al-  
 loquium impedire tentavit; sed frustra.  
 Tum curavit, ut silentium nobis perpe-  
 tuum imponeretur: at recusatum est.  
 Justitiam a Clemente poscebat Universi-  
 tas, & concordia conciliandæ studium.  
 Adjungebat: Eo malorum ventum est, ut  
 multi voce maxima dicant: Quid ni da-  
 ri queant Papæ plures, non solum duo,  
 vel tres, sed decem, aut duodecim? pos-  
 set in quolibet regno constitui aliquis: &  
 cuncti forent auctoritate pares.

§. II.

Sæcul. XIV.

A. C. 1394.

*Spicil. to. 6.*

p. 102.

*Spicil. pag.*

109.

*Dubulai*

p. 699.



Sæcul. XIV.  
A.C. 1394.

§. II.

*Clemens moritur.*

*Vita PP.*  
*to. 1. p. 536.*  
1396.

Hanc epistolam Clemens coram affantibus cum legisset, sua de sella surgens contenta per iram vehementem voce, Hæ litteræ, ajebat, infectæ veneno sunt, tenduntque ad infamandam Supremam Sedem. Responsum aliud haud nacti, qui eas attulerant, libertati suæ veloci abitu confulebant. Ab eo die Clemens manebat mæstus, ac defixus in cogitationibus: pauloque post sentiebat morbum, qui videbatur levis, nec illum decumbere cogebat. Sed die Mercurii 16 Sept. 1394, a sacrificio, cui adfuerat, reversum in conclave suum, ac sedentem corripuit nervorum stupor, & extinxit. Papam egerat sexdecim fere annis; & post dies undecim successorem habuit.

*Duboulay*  
*to. 4. p. 701.*

Ante mortis nuncium delatis Parisios Oratoribus suis Universitas per litteras novas duritiam responsionis haud parum conquerens æquiores a Clemente tanquam vivo flagitabat. At comperto ejus obitu postero die Mercurii 23 Sept. per Doctores, quos misit paucos, Regem oravit primo, ut Cardinalium Avenionensium suffragationem curaret differendam, donec de negotio concordie consultasset amplius, deinde, ut congregaret regni Præsules, ac Barones, Universitatum mem-

membra celeberrima, civesque aliquot <sup>Sæcul. XIV.</sup>  
 insigniores, qui de modo tractandæ rei <sup>A. C. 1394.</sup>  
 tam difficilis sententias suas dicerent;  
 postea, ut ad Papam Bonifacium, & Prin-  
 cipes ei addictos scriberet, & Universita-  
 tem Parisinam ad alias hac de materia  
 scribere pateretur; denique, ut ad obti-  
 nendam pacem ecclesiasticam suo in re-  
 gno supplicationes publicas ediceret.

Rex his cunctis petitionibus tanquam  
 æquissimis annuens Oratores ob omiffas  
 tandiu lectiones, ac reliqua exercitia le-  
 niter reprehensos ea resumere jubebat:  
 quod libenter polliciti summo cum gau-  
 dio abierunt.

Eodem die post prandium Rex in con-  
 silium adhibuit suum fratrem Ducem Au-  
 reliæ, suos patruos Biturigum, & agri  
 Borbonii Duces, Ancienfem Episcopum,  
 & inter alios quosdam Joannem Main-  
 grium, qui vocabatur Bucicaltus. Can-  
 cellarius indicato eis responfo, quod Rex  
 Universitati reddiderat, adjungebat: Rex  
 cogitat post epistolam ad Cardinales Ave-  
 nionenses scriptam eis mittere Patriar-  
 cham Simonem Cramaldum, Magistrum  
 Petrum Aillium, suis præfectum largitio-  
 nibus, & Pro-Comitem Melodunensem,  
 de concordia Ecclesiæ acturos. Tum  
 Dux Biturigum, Probe, ajebat, novi ho-  
 rum Cardinalium animos. Si laici mit-  
 tentur, præter declarationem voluntatis  
 regiae

Sæcul. XIV. A. C. 1394. regiae nullum habituri negotium, illis ac-  
ceptiores erunt, quam Ecclesiastici. Scio  
præterea illis haud placere Petrum Ail-  
lium, eo quod hujus consilio maxime ad-  
scribant molimen Universitatis. Sufficiet  
proin, si mittentur Eques, ac minister a  
libellis cum castrorum Præfecto Sancer-  
rano, qui prope Avenionem habitat. Huic  
sententiæ accesserunt omnes.

## §. III.

*Conclave Avenionense.*

**R**ex Renaldo Raugensi, & Castrorum  
Præfecto Bucicalto ad hoc negotium  
delectis, præmisit cursorem cum litteris,  
per quas orabat Cardinales, ut electio-  
nem differrent suam, donec ipsius Legatis  
*Spicil. p. 63.* præbuisissent aures. At cum advenit cur-  
sor, tantum non clausum erat conclave,  
quod die sabbati 26 Septembris sub ve-  
sperum intraverant. Collegii Decanus  
Cardinalis Florentinus erat, cui Regis  
epistolam cursor tradidit. Quid ea con-  
tineret, facile conjiciebant Cardinales: ac  
ne preces regias spernere viderentur, sta-  
tuebant omnes illam non aperire, ante-  
quam elegissent Papam. Vide, quomo-  
do rem aggressi fuerint!

*p. 64.* *Rayn. 1394.* *n. 6.* Primo, ut possent dicere, se non esse  
fautores schismatis, litteras confecerunt  
publicas, quarum hæc erat summa: Schis-  
ma

ma nunc in Ecclesia regnans tollere bona fide conabimur; & hunc in finem futuro Papæ opem, & consilium afferemus: tantum aberit, ut illud foveamus. Hæc nostrum quivis faciet, etiam qui summum ad pontificatum evehctus fuerit: immo is abdicabit hanc dignitatem, si hoc expedire ad Ecclesiæ concordiam censuerint Cardinales. Quæ promissa juramento firmamus. Deinde his litteris sua subjunxere nomina, earumque observationem jurarunt tangentes Ævangelia ad conclavis aram, ubi commune fieri sacrum solebat. Subscripsere duodeviginti; & primus quidem Guido Maloessius Episcopus Prænestinus, dictus Cardinalis Pictaviensis: decimus sextus erat Petrus Lunius. Aderant tres alii, qui tabulis chirographum non apposuere, scilicet Decanus, Acrifolius, & Hugo Martialisfanensis de S. Maria *in porticu*. Duo aberant Avenione, Jacobus Sabinensis Episcopus ex regia stirpe Arragoniæ, ac Joannes Novocastrinus Episcopus Ostiensis. Omnino viginti tres Cardinales Clementem agnoverant Papam.

§. IV.

*Petrus Lunius eligitur in Papam.*

Die lunæ 28 Sept. præsentibus Cardinales Petrum Lunium concordibus co-  
opta-

Sæcul. XIV.  
A. C. 1394.

*Vita PP.*  
p. 567.

*Vita p. 566.*

*Sæcul. XIV.* optarunt suffragiis : tum prandii hora  
*A. C. 1394.* relicto conclavi eum duxere in Avenio-  
 nense templum cathedrale : ubi nomen  
 Benedicti XIII assumpsit : quod triginta  
*Sup. l. 97.* servavit annis. Beneficio Gregorii XI  
*S. 37.* an. 1375 Romanam nactus purpuram ap-  
 pellabatur Cardinalis Arragonius ; post il-  
*Vit. p. 1182.* lius mortem dignus sede suprema habi-  
 tus ob mores suos, etsi tunc admodum  
*Vit. p. 1186.* juvenis. Fuit ex illorum numero, qui  
*Ec.* elegerunt Urbanum VI : & ratam electio-  
 nis auctoritatem sibi persuasam esse signi-  
 ficavit initio : sed invitus adfuit, cum is  
 folio imponeretur, egitque omnia, ut ab-  
 esse sibi liceret. Postremus tamen Roma  
 exiit, & Anagniam delatus cum reliquis  
 cooptavit Clementem, cui semper addi-  
 ctus mansit.

*Th. Niem.*  
*l. 2. c. 33.*

Ut Legatus in Arragoniam, Castel-  
 lamque ab eo missus multos per annos  
 pro viribus augere partes ejusdem in Hi-  
 spania studuit ; sed non defuit sibi, grandem  
 coacervans pecuniam. Pacis ecclesiasti-  
 cæ neglectus erat, quem in Clemente cre-  
 bro reprehendit : sic ad Reges, sic ad Prin-  
 cipes, Præsulesque loquebatur, immo ad  
 populum ex suggestu. In Francia fun-  
 gens legatione Regi, & Universitati Pari-  
 sinæ dictitabat se, si quando Clementi suc-  
 cederet, nulli parsurum labori, ut disfra-  
 ctas Ecclesiæ partes ad concordiam re-  
 duceret, cujus desiderio flagraret. Un-  
 de

de factum, ut Petrum loqui candide rati Sæcul. XIV.  
 Cardinales Avenionenses adeo propera- A. C. 1394.  
 rent eum in Papam eligere: nam in con-  
 clavi fuere unica die, nempe Dominica.

Universitas Benedicto scripsit hanc in Spicil. p. 65.  
 sententiam: Cardinales, ut electionem Kayn. n. 7.  
 paulum differrent, oravimus, putantes,  
 sic facilius extinctum iri schisma. Sed te  
 puncta tulisse omnia certo edoctos ingens  
 nos perfudit gaudium: & merito. Nam  
 pacis ecclesiasticæ studium, quo tua  
 mens ardebat hæctenus, &, ut audi-  
 mus, atque credimus, etiamnum ardet,  
 denique, dum voto accessit facultas, in lu-  
 cem, ut speramus, prodibit. Hortantur  
 postea per rationes urgentissimas, ut ne  
 uno quidem cunctetur die: & addunt:  
 Dices forsitan, rem non pendere a te solo.  
 Crede nobis: sanctissime Pater! Eccle-  
 siæ pacem in manu tenes. Quantum est Spicil. p. 68.  
 in te, age fideliter: id solum petimus. Si  
 tuus adversarius tantundem faciet; res  
 salva erit: omnem concordiaæ viam si re-  
 spuget obstinatus, totus eum damnabit  
 orbis; ut improbum schismaticum jun-  
 ctis viribus infectabitur; ac de sede per-  
 peram possessa pellet. Dabat 9 Octobr.  
 1394.

Benedictus nondum has nactus litte-  
 ras Universitati quinto Idus Octobres sui  
 electionem per epistolam indicavit; ubi  
 enarrato ejus modo adjungit: Sicut per  
Hist. Eccles. Tom. XXIV. li diu-

p. 120.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1394.

diuturnam variis in legationibus experientiam novimus gravitatem oneris præfertim hujus schismatis infausti tempore, ita exposita imbecillitate nostra illud sæpius, & magnopere deprecari, cum non audiremur, denique idem suscepimus in Dei misericordia confidentes. Continens ordo historiæ demonstrabit, quam falso, & per quantam probitatis simulationem ita scripserit: quæ per aliquot sæcula præne in consuetudinem venerat.

*Spicil. p. 70.*  
123.

Sed accepta Universitatis epistola Benedictus 12 Novembris ei alteram scripsit; in qua idem concordiæ desiderium perhibet, addens: Nostram hac de re mentem per Nuncios edocuimus Reges, ac Principes catholicos, præcipue dilectum filium nostrum Regem Galliæ, regique sanguinis Principes per Ægidium Avenionensem Episcopum, Petrumque Blaviensem Juris Pontificii Doctorem, quos rem vobis indicasse credimus. Præful Avenionensis erat Ægidius Bellomerus celeberrimus Juris Doctor, ex Andegavensi Archidiacono Vauri, tum Anicii, demum Avenionis Episcopus ab anno 1390.

*Gall. Chr.*  
*nov. p. 826.*  
*Spicil. p. 70.*

Parisios delatus, cum Benedicti litteras Universitati traderet, exposuit, si hæc ad illum mitteret album beneficiorum, quæ cuperet, eum libenter subscripturum. Reapse Avenionem missus est index per consilium Doctorum, Rectorisque confectus.

ctus. Ægidius etiam Regem Carolum Sæcul. XIV.  
 adiit, monuitque, ut ad Ecclesiæ con- A. C. 1394.  
 cordiam incumberet. Itaque Rex Ave-  
 nionem misit Petrum Aillium suis præfe-  
 ctum largitionibus, ac Theologiæ Docto-  
 rem cum Benedicto clam locuturum.

Bonifacius, quoscunque poterat, suis Ragn. 1394.  
 adungebat partibus: alium ad concor- n. 15.  
 diam gressum non faciebat. Igitur cum  
 audiisset, in Francia, Provincia, Pedemon-  
 tio, aliisque regionibus dari homines, qui  
 Clementem agnovissent Papam, sed sub-  
 mittere se Romæ vellent, eos post eju-  
 rationem ex formula præscripta factam cen-  
 suris, in quas incidissent, omnibus exsol-  
 vi per Gradensem Patriarcham Petrum,  
 quem ad Aulam Gallicam mittebat, vo-  
 luit. Mandatum dedit 17 Octobr. 1394.  
 Mense Aprili in Hispaniam simili cum  
 mandato miserat Franciscum Hugacio-  
 nem Archiepiscopum Burdigalensem, Ur-  
 binatem Italum, celebrem Juris consul-  
 tum. At utriusque legatio effecit nihil.  
 Hispani, Gallique malebant sequi Bene-  
 dictum, aut illum potius, qui pro duobus  
 æmulis in Papam eligeretur.

§. V.

*Concilium Parisiense.*

Rex Franciæ Carolus legationibus in- Spicil. p. 71.  
 utiliter consumi tempus videns de to. II. conc.  
 suo- p. 2511.



Sæcul. XIV.

A. C. 1395.

*J. Juven.*

p. 10. &amp; 108.

suorum consilio in anniversarium Lustratæ Virginis quartum Nonas Februarias anni 1395 Parisios convocavit conventum magnum, cui destinavit palatium. Accersebantur plures quam centum quinquaginta Præsules: at multi se per senium, infirmitatem, vel inopiam excusabant suam. Ex iis, qui venerunt, insigniores erant duo Patriarchæ Simon Cramaldus Alexandrinus, Carcassonensis Ecclesiæ Administrator, & N. Hierosolymitanus, episcopatus Pontiofanensis Gubernator; Lugduni, Senonum, Remorum, Rothomagi, Turonum, Bituricæ, ac Vefuntionis Archiepiscopi septem; quadraginta sex Episcopi, Abbates novem, aliquot Decani, & Doctores plurimi, qui singuli nominantur.

Antequam concilium inchoaretur, Præsules omnes in Præsidem cooptarunt Patriarcham Simonem Cramaldum Juris Pontificii Doctorem inclytum, subtilem, ac facundum. Tum Doctor Petrus Ailius Avenione reversus Regi rationem suam Benedicto negotii reddidit, at occulte. Id unum impetravit Universitas, ut ille Calendis Februariis in exedra palatii Pauliani, quod Rex incolebat, audiretur palam. Longum ibi sermonem habuit, cujus in fine dicebat, viam cessionis non solum Universitati, sed Christianis  
omni-

omnibus brevissimam videri, ac tollendo schismati maxime idoneam.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1395.

Postero die festo Præsules in sacello palatii faciendum curabant sacrum solemne, ac præsidium S. Spiritus implorabant: tum Patriarcha præsidens petebat, ut suam quisque sententiam bona fide dicerent. Erant octoginta septem numero, qui agebant ineundam esse viam cessionis, nec aliam. At re comperta Benedicti Nuncii tunc Parisiis versantes a Rege contendebant, ut nihil decerni hoc in conventu sineret, sed Benedicto decisionem relinquere ultimum juberet: quod Rex annuit.

*Vita PP.*  
*to. 2. p. 1109.*

In mensem totum productum est concilium: delectique sunt Legati ad Benedictum Duces Biturigum, & Burgundiæ Regis patruus, & frater ejus Dux Aurelianensis cum quibusdam illius Consiliariis. Instruebantur mandatis, quorum summa hæc erat: Non est procedendum per viam facti, quæ acciret bella, & periculosa Regum dissidia: possetque accidere, ut succumberet Papa legitimus. Nemo teneretur credere, victorem esse Papam verum: ita suspensi hærent animi, nec finiretur schisma. Intrusus, nempe Bonifacius, & partes ejus ad partes Benedicti adduci posse non videntur ob pertinaciam suam, diuturnitatem schismatis, & promotiones Præsulum, aliorumque

*Duboulai*  
*p. 774.*

*Spicil. p. 76.*  
*Conc. p. 2515*

Sæcul. XIV.  
A. C. 1395.

beneficiarios: demum Principes ambarum partium æquabili vellent ratione tractari: ac etiamsi Bonifacius abiret & munere, partes ejus non obedirent Benedicto, nec hujus partes obtemperarent Bonifacio, si Benedictus dignitatem solus deponeret.

Quod attinet ad tres vias ab Universitate ostensas, sufficit in præsens, si Rex eas Benedicto significet, ut aliquam earum eligat, melioremve, aut æqualem proponat. Et postea: Quanquam via concilii generalis videtur esse prima ex Jure, nunc suadenda non est ob difficultatem æque ac diuturnitatem suam: deberent cuncti Præfules eo acciri; & uterque Papa alterius partis fautores haberet pro suspectis, schismaticis, & proscriptis. Etiam via compromissi rejicitur in mandatis, & monstrantur ejus incommoda. Denique præfertur cessio, ac ex ordine exponitur modus exequendi eam, & alium eligendi Papam.

§. VI.

*Principum legatio ad Benedictum.*

Tres Duces Biturigum, Burgundiæ, & Aureliæ Avenionem die sabbati 22 Maji an. 1395 advenerunt cum aliquot Præsulibus, Nobilibusque Regis Consiliariis, ac membris quibusdam Universitatis.

tatis. Congruis excepti honoribus pro-  
ximo die lunæ in senatu publico propo-  
sitionem fecere suam tendentem genera-  
tim ad concordiam Ecclesiæ. Die Mar-  
tis 25 Maji in secreto cum Papa collo-  
quio mox petebant tabulas in conclavi  
confectas: quas ægerrime sibi exhibitas  
descripserunt. Sequentibus Mercurii, ac  
Veneris diebus urgebant Papam, ut ex-  
poneret modum, quo curare concordiam  
vellet. Non proferebat alium, quam col-  
loquium inter se ac Bonifacium una cum  
ipsorum Cardinalibus: sed hac ipsa in re  
non se pluribus explicabat verbis, ne ad-  
versarii sui eam impedirent, ut agebat.

Die tertia Pentecostes 1 Junii Duces,  
& horum Consilarii Benedicto, & Cardi-  
nalibus proponebant cessionem; impugna-  
bant vias reliquas ab eo commonstratas,  
& speciatim congressum cum Bonifacio;  
orabantque illum, ut eligeret cessionis  
viam præ quavis alia. Reponebat: Ex-  
ponite mihi ejus modum, ac usum! &  
post deliberationem vobis responsum red-  
dam, quod vestrum assensum merebitur.  
Offensis Duces animis surgebant protin-  
us, & inclinato corpore illum venerati  
Villam Novam Avenionensem, ubi habi-  
tabant, redierunt.

Illuc accitos Cardinales rogabant, an  
cessionis viam censerent aptissimam ad  
Ecclesiæ concordiam? Respondebant

Il 4

illi:

Sæcul. XIV.

A. C. 1395.

Vit. p. 1110.

Sup. S. 3.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1395.

illi: Nos ad eam expedire credimus colloquium partium a Papa propositum. Sed quia Regi, & Consiliariis ejus melior videtur cessio, conformamus nos ad voluntatem ejus, ac vestram; & hanc in viam consentimus. Duces per notarios suos mandandum scripto curabant id responsum Cardinalium, qui sentire idem videbantur omnes, præter Cardinalem Pompejopolitanum, Hispanum unicum in Avenionensi curia. Is Ducibus in præsentia reliquorum Cardinalium respondens rejectabat adhibitam formam poscendi cessionem, & modum agendi cum Papa.

p. III3. &c.

Benedictus Duces ad sententiam suam traducere per tres hebdomades frustra conatus tandem die Dominica 20 Junii eis responsum dedit scriptam, & litteris Apostolicis similem. Ibi verbis multis pauca loquitur; viam cessionis respuit; & in colloquio se inter ac Bonifacium instituendo perstat. Sequenti nocte pars dimidia pontis Avenionensis Villam Novam versus exstructi combusta fuit: quod Benedictus censuit dedita factum opera, ut terror sibi, & Avenionis civibus injiceretur: sed alii authorem facinoris dicebant Benedictum: qui se purgandi gratia pontem velociter reparandum curabat. Duces interea Villa Nova per navigium Avenionem delati apud Cardinales quosdam septendecim dies di-

Spicil. to. 6.  
p. 126  
Duboulay  
to. 4. p. 746.  
Juvén. p.  
III.

versa-

versabantur; & cum Cardinalibus in cœnobium Fratrum Minorum sæpius convocatis consilia Benedicti ingratiis conferebant.

Sæcul. XIV.

A.C. 1295.

Die Jovis 1 Julii hi Cardinales a Ducibus instigati studebant Benedictum ad ineundam cessionis viam inducere, ut evitaret offensiones, & mala insanabilia, quæ impendere illius capiti videbant. Post dies octo locuti iterum cum Benedicto Duces, quia nihilo plus impetraverant, eum valere ultimo jusserunt: & postero die Veneris 9 Julii accitis in Monasterium Minorum Cardinalibus Doctores quatuor de comitatu suo voluerunt numerofo populo præfenti suam agendi rationem probare: tum reversi Villam Novam, & paucis post diebus Parisios profecti nono Calendas Septembris illuc advenere.

Vit. p. 1121.

## §. VII.

*Alicæ legationes ob concordiam.*

Postquam ad Regem ac Senatam ejus de rebus gestis retulerant, orabant illum, ut ob Ecclesiæ concordiam instituta persequeretur. Statutum est, ut Rex ad alios Principes Christianos hac de causa Legatos mitteret. Missi in Germaniam Noviodunensis ad S. Ægidii Abbas, ac Ægidius Campius celeberrimus Theologiæ Do-

Sæcul. XIV.  
A. C. 1395.

ctor parum efficiebant, licet munere sua  
perbene fungentes. In Anglia Simon Cra-  
maldus Patriarcha Alexandrinus, & N.  
Viennensis Archiepiscopus benigne sunt  
accepti.

*Duboulay*  
*to. 4. p. 751.*  
*\* de Courte,*  
*cuisse.*

Universitas quoque Parisina Joar-  
nem \* Brevicoxium Doctorem Theolo-  
giæ, Petrum cognomine Regem Docto-  
rem Juris Pontificii, Abbatem Michaëli-  
montanum, quendam Medicinæ Docto-  
rem, duosque Magistros Artium, tanquam  
Oratores suos in Angliam misit cum litte-  
ris ad Universitatem Oxoniensem, quæ  
continebant testimonium fidei Oratori-  
bus habendæ, ac exhortationem gene-  
ralem ad navandam paci ecclesiasticæ  
operam; & datæ sunt in conventu ob  
id unum facto apud Mathurinos 26 Aug.  
1395, biduo post, quam Principes Ave-  
nionæ redierant.

Eodem tempore Parisina Universitas  
in Germaniam ad Universitatem Colo-  
niensem, & ad Electores Imperii a Papa  
Bonifacio stantes legavit Petrum Plavo-  
lium Doctorem Theologiæ, quendam Do-  
ctorem Juris Pontificii, & duos Magistros  
Artium. Negotii successum ex parte do-  
cet Archiepiscopi Coloniensis Friderici  
Sarverdii ad Universitatem Parisinam epi-  
stola 7 Oct. 1395 scripta hunc in modum:  
Vestras de concordia Ecclesiæ litteras  
accepimus læti; & audivimus ea, quæ  
Ora-

p. 752.

Oratores vestri de suo rem persequendi ardore, de comitiis Aquisgrani omiſſis, ac de cauſæ viſceribus ad nos dicebant.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1395.

Postulata fuiſſe comitia, & Gallorum Regis, veſtrosque Legatos Ultrajectum veniſſe haud comperimus, niſi poſt eorum reditum in Franciam; idemque firmiter credimus de cæteris Electoribus Imperii. Approbamus, quantum poſſumus, veſtrum concordiæ ſtadium, ac mentem noſtram Legatis veſtris declaravimus. Duos eorum retinuimus nobiſcum ducendos Poppardiam; ubi nos reliquis cum Electoribus decimo tertio menſis hujus affore ſperamus; cæteros duos vobis remittimus.

Interim Abbas Michaëlimontanus Uni-  
verſitatis Orator cum fociis, quibus præerat, ad Regem Angliæ Richardum admiſſus longiſſimo ſermone demonſtrabat neceſſario debere, ac maxime per viam ceſſionis poſſe finem imponi ſchiſmati. Rex Gallice reſpondit per epiſtolam, in qua fervorem Uni-  
verſitatis Pariſinæ magno-  
pore laudans petit ſpatium conſulendi Oxoni-  
enſem, & Cantabrigianam, ſpondetque ſe poſtea Legatis ſuam ſententiam indicaturum. Illi tertio Idus Octobris has acceperunt litteras.

p. 755.

p. 772.

§. VIII.



Sæcul. XIV.  
A. C. 1395.

§. III.

*Quæstiones Doctorum Parisiensium.*

p. 753.

Parisiis sub idem tempus, ut constaret Benedictum inique facere, ponebantur quæstiones novem, quas brevitatis causa redigo in has propositiones: Benedictus, nisi viam cessionis ineat, graviter peccat ut fautor schismatis. Nequit excusari per ignorantiam, si spectentur diuturnitas temporis, ac illius deliberatio de monitis

*Sup. c. 3.* Cardinalium, Regis, & Principum Galliæ, ac Universitatis Parisinæ. Perjurus est, nisi cedat ob jusjurandum, quod in conclavi dedit. Cardinales non debent sectari persequentem vias, quas proposuit. Ad cecidendum compelli potest; cunctique catholici, præsertim Principes operam huc suam conferant, oportet. Si obsistat, est obnoxius generali concilio suarum partium, quod exauthorare contumacem potest. Demum sententiæ, quas hac in re forsitan pronunciabit, vim habebunt nullam; & ab iis appellare ad Concilium generale licebit.

*Spicil. to. 6.* Fecit hoc Universitas: ac tenemus  
p. 143. tabulas provocationis confectas nomine  
*Rayn. 1395.* quatuor Facultatum, & totidem nationum: ubi post expositam totius rei seriem  
n. 10. Universitas a Benedicto, & omnibus injuriis sibi per eum illatis hactenus, & in posterum forsan inferendis ad futurum Pa-  
p. 152. pam

pam unicum verumque, ac Sedem sacram  
appellat.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1395.

Conqueritur inibi de quodam Domi-  
nicano, qui pro Benedicto scribens ipsam  
vocasset filiam Satanæ, aliisque convitiis  
violasset; ab illo tamen receptus in fami-  
liam, & promotus ad dignitatem fuisset:  
unde non leviter suspicatur illum fovere  
schisma. Hic Dominicanus erat Joannes  
Azo Theologiæ Doctor, ac Benedicti Pœ-  
nitentiarius, qui per suum scriptum ad  
quæstiones Theologorum Parisiensium re-  
spondens contendebat Benedictum haud  
posse adigi ad ineundam cessionis viam.  
Memineris oportet, Benedictum ab utra-  
que parte fuisse habitum pro Papa legi-  
timo.

p. 149.

Rayn. n. 12.

Inveniuntur etiam epistolæ duæ a *Duboulati*  
Theologis Parisinis cuidam Præfuli de  
Benedicti familia scriptæ, per quas re-  
spondent ad novem quæstiones Universi-  
tatis. Versantur illæ his in propositioni-  
bus: Ex jure divino haud liquet, Papæ  
ineundam esse viam cessionis, alioquin  
peccaturo graviter: est tantum quæstio  
anceps, de qua in utramque partem di-  
sputari potest: multique Juris Canonici  
Professores periti eam putant ridiculam.  
Etiam si Papa jurasset se abiturum a mu-  
nere, non id facere teneretur, si Eccle-  
siam videret ex abdicatione sua exposi-  
tam hæresibus, ac erroribus periculosis.

Hoc

Sæcul. XIV.  
A. C. 1395.

p. 754.

Hoc in juramento subaudiuntur in illæ  
conditiones, per quas possent ejus religio-  
ne solvi, & quarum examen non pertinet  
ad subiectos Papæ, qui nullam in eum  
authoritatem habent. Hunc invitum ex-  
terno in foro judicandi potestatem nemo  
tenet, ne generale quidem concilium.  
Qui alios in Papam concitant, seditionis,  
& novi schismatis authores sunt, privan-  
di omni facultate tribuendorum in scholis  
graduum, donec modeste se submittant  
ei, cui debent hanc potestatem. Hi Pa-  
pæ, ac sedis summæ inimici aperti me-  
rentur amittere cuncta privilegia, quæ  
contra ipsorum authorem adhibent. Ne-  
mo Papæ adimere potest authoritatis ple-  
nitudinem, quam hic a Deo proxime ac-  
cepit.

§. IX.

*Beneficiorum indices prohibentur.*

Tolosana Universitas suscepit partes Do-  
ctorum has proferentium propositio-  
nes, & in Universitate Parisina quoddam  
schismatis genus efficientium. Nam Be-  
nedicti Procuratores quidam, præsertim  
Guilielmus Vasatensis Episcopus Juris  
Pontificii peritos ipsi adjungere conaban-  
tur per spem beneficiorum, quæ studio-  
sis defensoribus suis largiter conferret.  
Universitas suorum aliquos indicem be-  
nefi-

neficioꝝ, quæ poscerent, ad Benedi-  
ctum misisse audiens, ad Cardinales Ave-  
nionenses 28 Dec. 1395 ita scribebat:

Nuper admodum comperimus, nostrorum  
aliquos non adeptos doctrinæ insignia, sed  
tantum designatos Juris Canonici Docto-  
res, aut prima donatos laurea, vel disci-  
pulos de consilio Vasatensis Episcopi con-  
tra sanctiones nostras misisse ad Papam  
nominum indicem, ac beneficia postulaf-  
se. Supplicamus igitur, ut hoc album  
Ecclesiæ tam noxium supprimatis, ne ef-  
fectum habeat.

Duobus post mensibus, nempe 22  
Febr. 1396 Universitas apud Mathurinos  
fecit decretum hujusmodi: Vetamus, ne-  
qua Facultas, natio, vel societas discipu-  
lorum, aut adeptorum gradum ad Papam  
indicem ullum, vel ad modum indicis  
supplicem libellum sine Universitatis con-  
sensu mittat: alioquin minus digni, sed  
magis audaces mercedem meritis debi-  
tam auferrent; & inde nascerentur of-  
fensiones, ac dissidia perniciofa. Proin-  
de omnibus, qui Universitati juramen-  
tum dixere, præcipimus, ut & hanc in-  
terdictionem observent, ejusque violato-  
res Rectori denuncient. Quæ sanctio  
nostra referetur in libros cujuslibet Facul-  
tatis, ac nationis: & quotquot accipient  
gradum, illius observationem jurabunt,  
alioquin ab Universitatis corpore sejun-  
gendi.

Per

Sæcul. XIV.  
A. C. 1396.

p. 752.

p. 755.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1396.

p. 773.

Per Martium hujus anni 1396 Universitas convenit sæpius ob litteras, toto ex orbe Christiano acceptas: & duodecimo ejusdem mensis apud Mathurinos statuit ad omnes Universitates extra regnum positas, cunctosque Reges, ac Principes scribere, ut cessionis viam eis commendaret. Duæ litteræ circummissæ, ad Universitates alteræ, alteræ ad Principes continent eandem rem, si summam spectem, scilicet adhortationem generalem ad curandam pacem ecclesiasticam, fidemque habendam Oratoribus, qui illas ferrent. Interim Universitas Oxoniensis Regi Richardo respondit longissimam per epistolam; ubi seu præoccupata favore in Bonifacium, seu per æmulationem Doctorum Parisiensium rejecta cessione contendit, generale concilium esse ad pacem viam optimam. Et vero inita fuit. Hanc epistolam 17 Martii an. 1396 scriptam Richardus ad Universitatem Parisinam milit.

p. 785.

§. X.

*Wicleffi errores.*

Londini anno priore Lollardi seu Wicleffistæ per occasionem absentis Regis in Hibernia versantis publice portis templorum S. Pauli, ac Westmonasterii affixere criminationes, propositionesque abominandas in Clerum, & Sacramenta.  
Dice-

Dicebantur defendi per quosdam Opti-  
 mates, & maxime Religiosis machinari  
 pestem. Rex comperta re properavit in  
 Angliam: quo delatus acriter objurgavit  
 Proceres Lollardorum Duces, præsertim  
 Richardum Sturium; quem ejurare illo-  
 rum opiniones jussit, probrosa nece, si fi-  
 dem falleret, afficiendum.

Sæcul. XIV.  
 A C 1296.

Anno 1396 Papa Bonifacius Regi Ri-  
 chardo scripsit, ut Præsulibus contra Lol-  
 lardos, quos Ecclesiæ, ac Regis prodito-  
 res vocabat, opem ferret, ac damnaret il-  
 los, quos Episcopi declarassent hæreticos.  
 Hæc ipsa ratio fortassis erat, ob quam  
 Londini eodem anno habebatur provin-  
 ciale concilium; ubi condemnabantur  
 duodeviginti puncta *Trialogi* Wicleffiani:  
 ponderosiora vide! Panis substantia ma-  
 net in Sacramento altaris post consecra-  
 tionem. Arrogans & insanus est, qui  
 contendit, Christianorum infantes sine  
 baptismo mortuos non consequi salutem.  
 Collatio Sacramenti Confirmationis non  
 est reservata Episcopis. Apostolorum  
 tempore duobus Cleri Ordinibus conten-  
 ta erat Ecclesia, Sacerdotes tantum, &  
 Diaconos agnoscens: fastus Imperatorius  
 fuit, qui reliquos invenit gradus Papæ,  
 Patriarcharum, ac Episcoporum. Non  
 est verum matrimonium inter conjuges  
 ætate graves, dum nuptias faciunt sine  
 spe obtinendi liberos. Dissolutionem con-  
 nubii

p. 352.

To. II. conc.  
 v. 2079.

Art. I.

a. 4.

5.

6.

7.

8.

*Hiji. Eccles. Tom. XXIV. Kk nubii*

**Secul. XIV.**  
**A.C. 1396.**

nubii ob cognationem, vel affinitatem perperam sanxerunt homines. Conjugium verba de futuro, ac de præsente faciunt æque firmum.

10. Duodecim procuratores Antichristi sunt Papa, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Judices ecclesiastici, Decani, Monachi, & Canonici tum sæculares, tum religiosi, denique Fratres Mendicantes, ac stipis rogatores ex officio. Divinus codex Sacerdotibus, & Levitis tantum decimas, & dona tribuit: ac hæresim docet, qui ait licere Sacerdotibus, & Ministris legis gratiæ accipere fundos, ac bona profana. Hæc adimere Ecclesiasticis peccando assuetis Domini profani non modo possunt, verum etiam debent, alioquin damnandi. Adverum dominium profanum necessaria virtus est, ita, ut gravi noxa inquinatus homo nullius rei sit Dominus. Non credenda sunt ea, quæ Papa, & Cardinales docent; nec parendum eorum monitis, præterquam illis, quæ clare deducere divinis e litteris queunt: cætera contemnenda tanquam hæretica.
- 11.
- 12.
- 13.
- 16.
- 18.

*Goduin.*  
*p. 325.*

Hæc puncta **condemnavit** Thomas Aruntinius Archiepiscopus Cantuariensis. Roberti Aruntinæ Comitis filius anno 1375, ætatis suæ 22 jam Episcopus Eliæ, anno decimo regiminis Richardi II, nempe 1387 Angliæ Cancellarius, anno proximi

proximo per Urbanum VI Archiepiscopus Sæcul. XIV. A. C. 1396.  
 Eboracensis factus, post mortem Guilielmi Curtiniacensis postrema Julii an. 1396  
 obitam per Bonifacium IX sub Natalem p. 56.  
 Christi translatus Cantuariam mox Angliæ Cancellarii munus deposuit; & literis translationis 11 Jan. 1397 promulgatis 19. Febr. solemniter in nova sede sua collocatus fuit. Ita videtur difficile, Concilium propositiones Wicleffi eo Præsede damnans fuisse congregatum anno 1396. p. 175.

Utcunque sit, ex mandato ejus, & *Fasci. rer. paulo post damnationem decem & octo punctorum factum est, ut horum confutationem ipsi mitteret Guilielmus Viderfordius.* exp. fol. 96. Vading. scriptor. p. 157. Erat in Universitate Oxoniensi Theologiæ Doctor ex Ordine Minorum, natione Anglus, & singularem operam dedit Wicleffi erroribus oppugnandis. Id per auctoritates sacri codicis, & Patrum fortissime agit in hoc opere, quod ex optimis est hac de materia compositis. Author decessit eodem anno 1397, multaque alia scripta reliquit.

§. XI.

*Legatio pro concordia.*

Interea initis Franciam inter & Angliam induciis Rex Carolus suam filiam Isabella Juven. Urs.  
 bellam Regi Richardo despondit per p. 114. 178.

Kk 2

ctio-



Sæcul. XIV. ctionem confectam 9 Martii an. 1395.  
A. C. 1395. Duo Reges in colloquium venerunt: in

*Labour.*

p. 339.

quo Richardus promisit fore, ut desineret stare a Papa Bonifacio, & hunc æque ac Benedictum impelleret in viam cessionis. Ideo duobus æmulis litteras scripsit communes, & in sola inscriptione diversas: nam Bonifacium vocabat Papam, Benedictum duntaxat Cardinalem. Ambos orabat, ut ingrederentur cessionis viam, auscultarent epistolæ latorem (erat Abbas Westmonasteriensis) ac responsum redderent intra festum S. Magdalene diem 22 Julii anno 1396. Abbatem peragrata Francia Avenionem delatum noluit audire Benedictus, ni haberet ipsi honores Papæ debitos: tum ille sibi non ultra procedendum ratus in Angliam revertit.

*Rayn. 1396.* Benedictus Romam misit Legatos quatuor, scilicet Episcopum Bartholomæum nomine, Dominicum Masconem Doctorem Legum, Petrum Garfiam, & Bartolinum Rustigium. Hi Fundos delati agebant se iussos esse cum Papa Bonifacio colloqui de modis tollendi schismatis: Cum eos Papa non acciendos duceret; Francisco Episcopo Segoviano, quem noverant, & qui Romana in curia agebat, scripsere, ut ipsos adiret. Permisit hoc Papa ea lege, ut audita fideliter indicaret.

§. XII.

§. XII.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1396.

*Conspirationes in Bonifacium.*

Igitur ad eos se contulit Episcopus, & ad Papam rediit. Sed iis postea perhibebat, illum utrimque dixisse falsa, & cum Legatis quatuor egisse de petenda Roma, & commovendo ibi tumultu, qui Papam ipsum discrimini objecisset. Episcopus ad Legatos revertendi opportunitate carens sua eis manu scripsit epistolam, per quam Bonifacium probris, & conviciis operiebat, hortabaturque illos, ut clandestina consilia sua exequerentur.

Bonifacius rem edoctus Conradum Nicosiæ Archiepiscopum suis præfectum cubiculis 8 Apr. 1396 iussit in hæc omnia inquirere, ac Episcopum Segovianum, si fontem inveniret, secundum canones plectere. Erat profecto, cur Bonifacius Romanis diffideret: nam duos abhinc annos, nimirum mense Majo an. 1394 Honorati Fundorum Comitibus impulsu violentam in eum seditionem fecerant. Vexillarii ducebant populum, qui summum in urbe dominatum vendicare sibi cupiebat. Tanto in Papam odio ferebantur, ut eum capturi crederentur, vitaque ipsa privaturi. Sed Ladislaus Neapolis Rex, ut quasdam ab illo gratias obtineret, tum Romæ commorans, cum eum tuendi causa suos armasset, vexillarios & populum cum

Rayn. 1395.  
n. 17.  
S. Ant. p.  
416.

K k 3

cum

Sæcul. XIV. cum eodem reconciliavit, pacatamque re-  
 A. C. 1396 liquit urbem. Similes turbas præven-  
 Th Niem turus Bonifacius reædificatum S. Angeli  
 l. 2. c. 14. castellum muniit, quod a Gallis in princi-  
 pio schismatis ex parte destructum Ro-  
 mani feditiosi plane diruerant.

## §. XIII.

*Martinus Arragonum, ac Siciliae  
Rex.*

In Hispania Joannes Arragoniæ Rex 19

Maji an. 1395 in venatione subito mor-  
 tuus successorem habuit suum fratrem  
 Martinum Montis Albi Ducem. Hujus  
 filius natu major pariter Martinus nomi-  
 ne duxerat Mariam filiam Friderici Ar-  
 ragonii cognomento Simplicis, Trinacriæ,  
 seu Siciliae Regis extincti anno 1368: &  
 cum patre, Mariaque conjugæ anno 1386  
 in Siciliam delatus a Siculorum parte  
 Rex agnoscebatur: nam regnum erat di-  
 fractum magnopere; multique Optima-  
 tes sibi quisque proxima occupaverant.  
 Agnoscebant Papam Romanum, Avenio-  
 nensem vero Rex Arragonum, & plurimi  
 Fratres Mendicantes Franciscani, & alii.  
 Bonifacius ut his obstaret, & animos, si  
 posset, ad concordiam reduceret, Gilfor-  
 tium Panormi Archiepiscopum esse suum  
 in Sicilia Nuncium jussit per litteras 10  
 Junii an. 1396 datas. Sed nullum man-  
 dati hujus effectum video.

*Sur. Indic.*  
p. 529.

*Facel. p. 529.*  
930.

*Rayn. 1396.*  
n. 4.

§. XIV.

## §. XIV.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1396.*Universitas Benedicto parere recusat.*

Parisina Universitas Benedictum haud posse flecti, sed quo studiosius incitaretur ad cessionem, eo pertinacius obistere videns censuit denegandam illi obedientiam, susceptique consilii rationes scripto edidit. Initium ducebat ab enarratione factorum, memorans conatus a se adhibitos ad extinguendum schisma Clementis tempore; litteras Cardinalibus scriptas, ne alium ei sufficerent; multorum gaudium de audita Benedicti electione, quippe qui ut Cardinalis suum concordiae studium Franciæ significasset, ac jurejurando in conclavi sanxisset; concilium anno priore Parisiis habitum; irritam trium Principum ad Benedictum legationem.

Duboulat  
p. 799.

Tum exponebat suas querimonias, quarum hæc est summa; Nihilominus Universitatem vexare statuit, & quosdam ei subjectos etiam beneficiis privari jussit. Perhibet Universitatem per sui odium sic agere. Respuit cessionem ut iniquam, & rationi minime consentaneam; quamvis reapse sit ad schismatis extinctionem via optima, & unica: nec tamen aliam decernit; sed sermonibus confusis, & dilationibus utitur, tantum in

p. 801.

Kk 4

statu

Sæcul. XIV. A. C. 1396.  
 p. 802. statu suo manere perpetuo studens. Juramentum in conclavi dictum detorque-  
 re voluit in sensum diversum, & Cardinalium menti repugnantem. Legatos omnem in partem mittit, ut per dona, & relationes falsas orbem universum præoccupet, impediaturque, ne conveniat de via cessionis.

Spicil. 143.  
 Duboulay  
 p. 803. His ex querelis Universitas sub nomine Joannis Credonensis Magistri Artium, & Sacerdotis e diocesi Laudunensi, quem constituerat Procuratorem suum, confecit tabulas provocationis longissimas; quæ continent cunctas utriusque partis rationes, seu potius obtentus, sub quibus schisma continuabatur. Quocirca in fine ad Papam futurum, unicum, ac verum appellat Universitas ab omnibus censuris, quas statuisset, aut deinceps statueret Benedictus.

p. 820.

Is indicata sibi protinus ea re gravissime offensus edidit litteras in hanc sententiam scriptas: Ut comperimus etiam ex voce publica, Joannes Credonensis, qui se dicit Procuratorem Universitatis Parisinæ, contra nos, & Romanam Ecclesiam eo processit, ut nomine illius societatis temere provocat per prætextam causam quarundam injuriarum, quas illa perhibet nos sibi minatos esse, aut in posterum facere posse. Ne turbulentissimi quidem unquam talem interposuerunt appellationem,

nem, quippe contrariam tum plenitudini Sæcul. XIV.  
 potestatis S. Petro, ac successoribus ejus A. C. 1396.  
 a Christo collatæ, tum sacris canonibus,  
 qui vetant, nequis a Summa Sede seu  
 a Papa appellet. Igitur hanc provoca-  
 tionem declaramus nullam & irritam, sal-  
 vo nostro jure in hunc provocatorem, ac  
 ejus socios animadvertendi, prout eorum  
 insolentia meruerit. Dabat Avenione  
 30 Maji an. 1396.

Universitas harum litterarum sum-  
 mam per communem famam edocta 10  
 Julii ad Cardinales Avenionenses scribens  
 rem conquerebatur, & ut schisma tollere  
 plus quam alias conarentur, orabat. Tum  
 divulgavit alteras appellationis tabulas,  
 quæ instar reliquorum illius temporis ope-  
 rum verba multa, sed paucas rationes  
 continent. Afferuntur exempla PAPA-  
 rum gradu motorum, velut Benedicti V  
 in Romano concilio anno 964 urgente Im-  
 peratore Ottone I; Benedicti VI promoti Sup. l. 56.  
 an. 972, sed paulo post capti, strangula- S. 10.  
 tique a Centio; ac Benedicti IX a Roma- S. 36.  
 nis an. 1044: sed posteriora duo exem- l. 59. S. 47.  
 pla fuerunt meræ violentiæ. Memora- V. Conc. to. 4.  
 tur ibi etiam Anastasius II a parte Cleri  
 sui derelictus: sed hanc fabulam Gratia-  
 nus scripsit post Anastasium Bibliothecæ p. 1177. D.  
 Præfectum.

p. 826.

p. 822.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1396.

§. XV.

*Imperatores Constantinopolitani.*

*Biblioth.*  
*Orient. p.*  
175.  
*Sup. l. 98.*  
*S. 42.*

**H**oc anno Turcæ in Hungaria nobilem Christianis palmam præripuere. Bajazet seu Abu Jezid quartus e Sultanis Otomannis anno Epochæ Arabicæ 791, Christi 1388 patri suo Amurato successerat, cognominatus Ilderim seu Fulmen ob rapiditatem victoriarum suarum progressuum. Anno 1393 Constantinopolim oppugnans Imperatorem Manuelem Palæologum in tributum sibi decies mille florenos aureos pendere, ac Turcis delubrum partemque urbis tradere coëgit. Cum Græci ad Papam Bonifacium confugissent, ut Principum Latinorum subsidia obtinerent, iussit adversum Turcas sacrum cani classicum in regionibus sibi deditis, & propius eos sitis: ut docent tres illius litteræ datæ anno 1394. Ut rem probe intelligas, resumenda est series Græcorum Constantinopolis Imperatorum.

*Rayn. 1394.*  
*n. 23. &c.*

*Sup. lib. 96.*  
*S. 27.*  
*Ducas hist.*  
*c. 12.*

Annus 1355 fuit, quo contingere Joannis Cantacuzeni abdicatio, ac restitutio Joannis Palæologi tum viginti tres annos nati. Genuit iste tres filios, Andronicum, Manuelem, ac Theodorum, quorum maximus natu eximia oris specie, concinna corporis magnitudine, ac robore cunctos ætatis suæ juvenes superabat. Sultanus Amuratus tres itidem habebat filios, quorum

rum secundus nomine Cuntucius annis Sæcul. XIV.  
 Andronico æqualis erat. Hi duo Prin- A. C. 1396.  
 cipes die quodam appoti largius suum  
 quisque patrem tollere de medio, tum in-  
 star fratrum vivere statuerunt. Amura-  
 tus re probe comperta filio suo erui ocu-  
 los iussit: & Imperatorem Joannem mo-  
 nuit, ut idem Andronico faceret: alioquin  
 bellum inter ipsos fore sine spe ulla recon-  
 ciliationis.

Sequebatur malum consilium Impe-  
 rator; seu quod se Amurato imparem  
 sentiret, seu per levitatem ingenii sui, ex  
 qua strictim tractabat omnia præter amo-  
 rem mulierum. Igitur aceto fervente  
 cæcari voluit non Andronicum modo,  
 sed etiam filiolum ejus Joannem, qui vix  
 dum fari coeperat. Deinde ambos cum  
 illius conjugē inclusit in Constantinopolis  
 turrim quamdam; ubi hæserunt biennio:  
 quo elapso exierunt ope seditionis a La-  
 tinis Galatensibus excitatæ; ac sub An-  
 dronici nomine Genuenses cum Græcis  
 ab ejus patre stantibus per dies aliquot  
 pugnarunt. Tandem Andronicus cum  
 quatuor millibus equitum a Bajazeto sibi  
 subministratis Constantinopolim ingressus  
 declaratus est Imperator.

Tum patrem, fratresque suos eidem  
 inclusit turri: sed transacto ibi pariter  
 biennio elapsi Scutarium petierunt. Re-  
 vocavit eos Andronicus facti sui poeni-  
 tens;



Sæcul. XIV. A. C. 1396. tens; reposuit patrem in folio; & ad ejus pedes prostratus veniam poposcit. Annuuit Imperator; & Andronicum cum ipsius conjuge, ac filio Selybriam misit, quam cum locis aliis eidem tribuit. Neuter excæcatus, sed pater unoculus, filius strabo erat. Pro Andronico Manuelem coronari jussit Imperator 25 Sept. an. 1373, ac ex die natali illius vita prædicebatur: tantam Græci fidem habebant divinationi ab astris.

*Bouliand.*  
*not. p. 226.*  
*Ducas c. 13.*

Bajazet his Imperatoribus adeo superior evaserat, ut eos veluti mancipia tractaret sua. Multa, & magna molientem videns Joannes Palæologus Constantino-  
polis locum, qui vocabatur porta aurata, munire coepit, futurum sibi perfugium in casu necessitatis. Bajazet volebat complanari hæc munimenta: alioquin Manuelem tuum filium, addebat, tibi cæcum remittam. Nempe is ex mandato sui patris subsidium illi aliquod de more adduxerat. Imperator Joannes decumbebat semianimus ex dolore articulorum, aliisque intemperantiæ suæ effectibus: præter Manuelem non habebat successorem alium: nec Turcarum viribus obstare poterat. Ergo jussit everti arcem; & paulo post decessit anno 1391, a morte sui patris Andronici Junioris quinquagesimo.

Ma-

Manuel, qui erat in Bursa, & aula Sæcul. XIV.  
 Bajazeti, comperto patris sui obitu de A. C. 1396.  
 nocte Constantinopolim fugit. Iratus Ba-  
 jazet illi per nuncium dixit: Volo Con-  
 stantinopoli esse Judicem, qui Musulman-  
 nis ibi negotiantibus jus dicat. Si tu id  
 nolis; claude urbis tuæ portas, & intus  
 regna! Quidquid est foris, meum est.  
 Postmodum e Bithynia in Thraciam pro-  
 fectus dirutis circa Constantinopolim locis  
 omnibus, & incolis alio translatis etiam  
 Thessalonicam occupavit 25 Maji eodem  
 anno 1391. Constantinopolim sine vera  
 obsidione intercludere satis habuit: sed  
 circumjacentes campi adeo vastati erant,  
 ut magna brevi fames urbem premeret,  
 His in angustiis Imperator Manuel Papæ  
 Bonifacio, Franciæque ac Hungariæ Re-  
 gibus scripsit celerem opem flagitans.

§. XVI.

*Prælium ad Nicopolim.*

Sigismundus Hungariæ Rex ad Regem  
 Galliæ Carolum VI misit Episcopum,  
 ac duos Equites ut Legatos una cum lit-  
 teris, quibus significabat Bajazetum sibi  
 minari bellum in Hungariam usque in-  
 ferendum, rogabatque suppetias. Offe. Froiss 1. 4.  
 renti huc se magno Nobilium numero Rex c. 67.  
 præfecit patruelem suum Joannem Niver- Juven. p.  
 ni Comitem Burgundiæ Ducis filium na- 124.  
 tu

Sæcul. XIV. tu majorem. In Hungariam delati ne-  
A. C. 1396. glectis Sigismundi monitis quærere ho-  
 stem properabant: ac præterea omni vo-  
 luptatum generi, vino, epulis, ludis, ac  
 foeminis se dedebant, frustra hortante Cle-  
 ro, ut æternæ salutis suæ consulerent tan-  
 ta subituri pericula. Expugnati castelli  
 cujusdam incolis omnibus peremptis ob-  
 sidebant Nicopolim, cum Bajazet auxilio  
 venit. Commisso dein prælio magno Gal-  
 li, qui prima in acie stare voluerant, om-  
 nes succubuere vel capti, vel cæsi. Hoc  
 accidit die Jovis 28 Sept. 1396.

## §. XVII.

*Negotia schismatis extinguendi.*

*S. Ant. to. 3.* Eodem mense Romam venerunt multi  
*p. 416.* Legati Principum Benedicto paren-  
 tium, scilicet Regum Franciæ, Angliæ,  
 Castellæ, Arragoniæ, ac Navarræ. Hor-  
 tabantur, orabantque Bonifacium, ut tol-  
 lendi schismatis causa, quidquid juris ad  
 pontificatum habere se contenderet, ab-  
 dicaret: fore, ut Benedictus tantundem  
 faceret. Respondit Bonifacius se verum  
 ac minime dubium Papam esse, nec dari  
 alium: ut exuat munus, neququam sibi  
 persuasum iri. Sic re infecta Legati ad  
 Dominos redierunt suos.

*Th. Niem.* Mense Aprili sequentis anni 1397  
*lib. 2. c. 33.* Germaniæ Principes Francofurti cele-  
 brabant

brabant comitia, quibus intererant Ora-  
tores Universitatis Parisinæ, ac Legati  
multorum Regum, & Principum. Rex  
Wenceslaus non venit, quanquam id ro-  
gatus, & pollicitus. Ibi per dies duode-  
cim deliberatum de concordia Ecclesiæ;  
missique, qui Bonifacio suaderent cessio-  
nem. Molestissime rem ferebat, libenter  
eis malefactorum, si sub obtentu aliquo po-  
tuisset. Igitur verba dedit, non respon-  
sum decretorium: etiam conciliare sibi  
eos studuit, contra regulas concedendo  
gratias, quas pro se, amicisque suis pe-  
tierant. Sed nihil promoverunt in ces-  
sionis negotio, quod erat causa itineris.

Martinus Arragonum Rex de Sicilia  
reversus audiit Regem Castellæ Henri-  
cum de concordia Ecclesiæ habuisse Sa-  
lamanticæ magnum conventum, ubi sicut  
Parisiis electa esset via cessionis. Itaque  
ad Castiliæ Regem duos Legatos, Vitalem  
Blavium Equitem, ac Raymundum Gal-  
lum Juris Pontificii Doctorem misit cum  
epistola, qua ei tradita coram Consilio  
Regio curandæ pacis ecclesiasticæ capita  
quædam viva voce proposita etiam scri-  
pto dederunt.

Rex Castellæ respondit fusas per lit-  
teras; ubi rejicit compromissum, & inter  
alias rationes ait: Intrusus (Bonifacium  
intelligit) dicet, compromissum non esse  
viam juris, & justitiæ, sed voluntariam,  
ad

Sæcul. XIV.  
A. C. 1397.

Rayn. 1397,  
n. 7. 8 &c.  
Sorita Indic,  
p. 263.

Sæcul. XIV. ad quam nemo compellatur. Nec vero  
 A. C. 1398. huc adigi debet intrusus; quia se offert  
 ad concilium generale, quod est via juris,  
 & justitiæ. Demum Rex antefert cessionem in Francia propositam, a Cardinalibus approbatam, & a Christianis cupitam. Dabat 10 Sept. 1397.

n. 11.

*Froiss.* 44.  
 c. 91.

Sequente anno 1398 Germaniæ, Galliæque Viri principes magno numero Remos convenerunt acturi de concordia Ecclesiæ. Rex Carolus VI suis precibus, aliisque modis effecit, ut Rex Wenceslaus totum Consilium suum Remos duceret. At ne hic congressus diceretur solum fieri de duobus Papis loquendi gratia; sparsus est rumor, agitari conjugium inter filium Marchionis Brandenburgici fratris Wenceslai, & filiam Ducis Aureliæ. Hic Princeps pariter Remis aderat cum Rege suo fratre, ac ipsorum patris Biturigum, & Burgundiæ Ducibus. Conventus celebrabatur tempore verni jejunii, quod hoc anno coeptum 20 Februarii, finitum est 6 Aprilis.

Constituto, divulgatoque connubio consilia de re ecclesiastica tenebantur clausa. Id unum constabat, Petrum Ailium Episcopum Cameracensem Romanum legatum iri, Regum Wenceslai, & Caroli nomine Bonifacio suasurum, ut electionem aliam fieri pateretur, quæ indicaret, uter maneret Papa. Rex Franciæ confidebat

fidebat in Regibus Angliæ, Scotiæ, Castellæ, Arragoniæ, Navarræ, ac Lusitanæ: Wenceslaus spondebat pro sua Bohemia, pro Germania usque ad Boruffiam, & pro suo fratre Sigismundo Hungariæ Rege: jurabant fore, ut persisterent in sententia, & affines suos in eandem impellerent. At Dux Burgundiæ his consultationibus, quæ Remis capiebantur, nunquam interesse voluit, sibi persuasum habens illud, quod antea dixerat: Hic perditur opera; perduntur dona pretiosa, quibus hanc ob causam afficiuntur Germani, promissis neutiquam staturi suis.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1398.

§. XVIII.

*Petrus Ailius versatur Romæ.*

Petrus Ailius Germaniæ, Galliæque Regum Legatus anno 1350 mediocris fortunæ parentibus Compendii ortus Theologiæ Parisiis audiendæ causa Collegium Navarræum ut alumnus intraverat sub annum 1372. In Universitate nationis Gallicæ Procuratorem cum ageret, *Navar. hist. Launoi pag. 467.* Nominalium sectam prosequens Dialecticæ, ac Physicæ, præsertim libris de anima, & meteoris multam dabat operam. Anno 1375 cœpit explicare Magistrum Sententiarum; & tamen identidem de rebus divinis dicebat ad populum. Undecimo Aprilis an. 1380 ætatis suæ tri-

*Hist. Eccles. Tom. XXIV. Ll celi-*

Sæcul. XIV.  
A. C. 1398.

cesimo titulum Doctoris nactus, sequente anno Noviodunum, ubi Canonicus erat factus, petiit: dein revocatus Parisios Magni Collegii Navarræi Magister evasit anno 1384. Fama ei sua plurimos accivit discipulos: in quorum numero memorantur Joannes Gersonus, Nicolaus Clemangius, ac Ægidius Campius, qui Petro Aillio in Collegio successit an. 1389.

Is eodem anno Ecclesiæ Parisinæ Cancellarius, Regis largitionum Præfectus, & conscientiæ Arbiter, sub annum 1394 Custos thesauri ædiculæ sacræ renunciatus sic primam illius Collegii dignitatem obtinuit. Postea 2 Aprilis an. 1395 in Episcopum Aniciensem electus, & in eunte anno proximo ad sedem Cameracensem translatus ejus possessionem 2 Junii adiit. Tunc in dioecesi sua sibi residendum videns Cancellarii Parisini munus Joanni Gersono cessit. Talis erat Petrus Aillius, quando Romam mittebatur.

Delatus in Italiam Bonifacio Fundis monstrabat Regum litteras mandato fidem adrogantes, quibus is contentus erat. Itineris causam exponenti Præsuli respondebat, sibi deliberandum esse cum Cardinalibus. Et vero Romam profectus Vaticanum palatium vix intraverat cum senatum habuit. Sancte Pater! ajebant illi, dissimulatione tibi utendum est, dicendum-

cendumque, te magna voluntate facturum omnia, quæ hi Reges tibi suaserint; dummodo Petrus Lunius commentitio pontificatu suo se abdicet. Principes stauerent locum, ubi conclave haberi cuperent; te ibi cum Cardinalibus libenter affore. Probabat consilium Papa, & ita respondit Episcopo.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1398.

Pervulgata Principum petitione Romani graviter conquerebantur veriti, ne Summi Pontificis, & Apostolicæ curiæ præsentiam amitterent. Hæc enim illis magnas afferebat opes, allatura majores per annum sacrum nempe 1400; in quem copiosos jam faciebant apparatus, quos nolebant perdere. Igitur insigniores e Romanis ardentius quam unquam alias, studium erga Bonifacium significantes, Sanctissime Pater! inquebant, tu verus es Papa: tu permanes in Patrimonio S. Petri: absit, ut dignitatis abdicationem suadentibus aures præbeas! Quicumque demum sint illi, qui tibi adversantur palam, nos in fide perstabimus: nos bona nostra, vitamque ipsam periculis objicemus, ut æquitatem causæ defendamus tuæ.

Bonifacius reponebat: Erigite animos, o filii mei! manebo Papa: nolite ambigere! Quidquid dicant, agantque Imperator, ac Rex Franciæ, non eis obsequar. Placati his verbis Romani rem



**Sæcul. XIV.** celabant Episcopo: qui assidue pergebat  
**A. C. 1398.** cum Papa, & Cardinalibus colloqui: sed  
 id solum responsum tulit, si Benedictus  
 cesserit, Bonifacium ita se gesturum, ut  
 Regibus satisfaceret. Sic Roma profes-  
 tus in Germaniam Præsul Confluentiæ  
 Wenceslaum de negotii sui eventu edo-  
 cuit. Tum iste: Ad modum agendi, quem  
 Rex tuus tenuerit, me conformabo, saxo-  
 que, ut totum me Imperium meum se-  
 quatur. Nam, quantum video, ille ini-  
 tium ponat, oportet. Postquam suum  
 domuerit Papam, ego submittam meum.

## §. XIX.

*Francia obedientiam Benedicto de-  
 negat.*

**I**nterim Benedictus comperit Regem Ca-  
 rolum per Legatos aliis Regibus, Princi-  
 pibusque Christianis commendasse curam  
 pacis ecclesiasticæ, ac Regem Angliæ so-  
 ciam illi junxisse operam. Vehementer  
 id dolens Benedictus ad Carolum misit  
 Cardinalem Pompejopolitanum Marti-  
 num Salvium. At Rex, regique sangui-  
 nis Principes mature rem edocti eum vo-  
 lebant monitum, ut ne veniret: quod mo-  
 lestissime tulit Benedictus: ut apparet ex  
 hujus litteris ad Ducem Biturigum, Re-  
 gemque ipsum 9 Junii datis. Rex tol-  
 lendi schismatis causa Parisios convoca-  
 vit

*Juv. Urs.*  
*p. 132.*

*Spicil. to. 6.*  
*p. 157.*

vit magnum Præfulum, Doctorumque conventum; qui coeptus est 22 Maji in minore palatii exedra prospectum habente ad fluvium. Rex illi non intererat relapsus in suum morbum: sed ejus locoderant Aureliæ, Burgundiæ, Biturigum, agrique Borbonii Duces. Alexandrinus Patriarcha Simon Cramaldus initium conventus posuit per sermonem Gallicum, in quo enarrabat ea, quæ post mortem Clementis gesta fuerant; & viam cessionis suadebat, adjungens, Regem de modo procedendi ad eam cum illis alias acturum: quod factum est mense Julio.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1398.  
Lib. Gall.  
to. 2. p. 452.  
Edit. 1639.  
Labour p.  
375.

In congressu hoc altero convenit, Benedictum tunc maxime victas daturum manus, si collationem beneficiorum, & quodlibet suæ authoritatis exercitium ademptum sibi, denegatamque cerneret omnem obedientiam. Itaque Cancellarius Arnaldus Corbejenfis patentes confecit litteras, ubi exposita fusissime causa Rex ita pronunciat: Nos de consilio Principum nostri sanguinis, multorumque aliorum, & nobiscum Ecclesia regni nostri, tam Clerus, quam populus obedientiam omnem negamus Papæ Benedicto XIII, & hujus adversario (nempe Bonifacio IX) cujus mentionem non facimus: quia ei nec paruimus unquam, nec parebimus. Neminem deinceps Papæ Benedicto, aut exactoribus, aliisque ministris ejus de pro-

Lib. Gall.  
c. 20. p. 449.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1398.

ventibus ecclesiasticis quidquam pendere volumus; ac stricte vetamus, nequis nobis subjectus illi vel ministris ejus ullo modo obtemperet. Dabat Parisiis 27 Julii anno 1398.

Eodem die Rex alias duas litteras patentes edidit. Alteræ prohibent, nequis respiciat censuras, vel judiciorum formulas, quas Cognitores, Auditores, Recuperatores, vel alii ex autoritate Benedicti forsitan adhiberent: jubenturque Prætores, & alii ministri regii rem curæ habere. Alteræ sunt ejusmodi: Si qua præfectura, vel alia dignitas suffragiis obnoxia tempore negatæ obedientiæ vacabit, Collegia, vel Cœnobia, ad quæ pertinet electio, cooptabunt illum, quem maxime idoneum bona censebunt fide; reliquis beneficiis collatores ordinarii providebunt. De beneficiorum fructibus nihil vertetur in rem nostram, vel cujuspiam nobis subjecti: & Clerus nihil debet Benedicto, aut ejus exactoribus.

p. 451.

Etsi vero hæ litteræ scriptæ sunt die sabbati 27 Julii: conventus conclusio non fiebat nisi postera Dominica: qua Cancellarius Gallice loquebatur palam, apertis foribus, & coram multitudine innumerabili, ut res divulgaretur. De schismatis extinctione inter alia dicebat: Præsentes Domini mei (erant Duces Aureliæ, ac Burgundiæ) audierunt sententias Virorum plu-

Spicil. pag.  
158.

plurium trecentis, & Universitatum Lutetiae, Aureliae, Andegavi, Cesseronis, ac Tolosae. Rex post discussa, sibi que indicata omnia negare protinus obedientiam statuit. Denique mei Domini per me vobis dicunt, se velle vetera privilegia, & immunitates Ecclesiae Gallicae modis omnibus conservare. Ut res geratur melius, nos cuncti futura die Dominica ad templum S. Genovesae ordine instructo ibimus: quod executioni datum.

Robertus Franciscanus Doctor Juris, & Tristanus Duboscus Ecclesiae Attrebatensis Praepositus Avenionem missi, ut Benedicto decretum regium nunciarent, postquam Villam Novam Avenionensem advenerant, die Dominica 1 Septembris an. 1398 recusationem obedientiae ibi promulgarunt, cunctis Clericis, laicisque Regi obnoxiiis praecipientes, ut a Benedicti curia & servitiis abirent, alioquin graves subituri poenas. Parebant multi ejus domestici, Auditores ut vocabantur, Sacello praepositi, alii que ministri. Legati regii ferebant litteras ad Cardinales Avenionenses duodeviginti numero. Qui eas, scriptaque alia monstrata sibi cum legissent, Villam Novam delati consultatione cum civibus Avenionis eo accitis habita statuerunt Regis decreto stare, & a Benedicto solenniter desciverunt: ut rescribebant ad ipsum Regem Carolum.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1398.

§. XX.

Philippus Villetius Abbas Dionysiofanensis.

*Hist. S. Den.*  
P. 313.

Eodem tempore se obtulit celebris occasio exequendi novum decretum de beneficiis negatæ obedientiæ tempore conferendis. Guido Monceanus Abbas Dionysiofanensis suprema Theologiæ laurea, & virtute clarus 28 Aprilis hoc anno 1398 decesserat, cum id cœnobium triginta quinque annis rexisset. Monachi ex more concessa sibi per Regem electione libera cooptarunt Philippum Villettium ejusdem domus Religiosum, prima Theologiæ laurea donatum post decem annorum studia, & a Duce Burgundiæ commendatum. Electionis confirmatio ex privilegiis abbatiae ad Papam pertinebat; sed in hoc rerum statu secundum peritissimos Juris Canonici spectabat ad Episcopum circumjecti territorii.

Itaque Petrus Orgemontius Episcopus Parisinus erat, qui Abbatis Philippi electionem per tabulas publicas ratam habuit; sed declaravit simul, hanc functionem nihil juris in posterum tributuram Ecclesiæ suæ, & nec nocituram monasterio. Tum Philippum ut Abbatem novum solemnem precatione profecutus est die festo S. Ludovici 25 Augusti.

§. XXI.

*Petrus Aillius Avenione agit.*

Episcopus Cameracensis Petrus Aillius sub Majum Parisios reversus negotii Romæ, ac in Germania gesti rationem reddiderat in conventu, in quo recusatio obedientiæ statuta fuerat. Deinde placuit eundem Episcopum, & Joannem Maingrium Bucicaltum Castrorum Præfectum primarium una cum copiis mitti Avenionem ad Benedictum pacto vel aliter inducendum, ut dignitatem summam deponeret. Postquam Lugdunum advennerant; Bucicaltus ibi hærebat, donec acciperet nuncium ab Aillio, qui Avenionem petebat prior.

*Froiss. l. 4.  
c. 97.*

Eo delatus Benedictum perhonorifice salutabat, non tamen perinde, ac veneratus esset Papam toto ab orbe agnatum. Exponebat se missum ab Imperatore, ac Rege Franciæ, quos inter convenisset, utrique Papæ abeundum esse a munere. Tum ille mutato vultu, & contenta voce: Multa feci pro Ecclesia: rite sum electus: & modo cedam? Id vero, quamdiu vivam, non fiet. Meum nomen, & pontificatum ad mortem usque servabo: nec me submittam Gallorum Regi: hoc per te sciat, volo.

Ll s

Sub

Sæcul. XIV.  
A. C. 1398.

Sub hæc Episcopus: Domine, Cardinales adhibe in consilium! Aliter si sentiunt, haud potes solus obsistere viribus Regis Franciæ, ac Imperatoris. Tunc accedebant Cardinales duo Benedicti clientes; ad quem conversi, Sancte Pater! aiebant, Episcopus recte loquitur: sequere consilium ejus: sic oramus. Consensit ille tandem. Ita finito colloquio Episcopus diversorium repetiit suum: neque Cardinalium quenquam adiit.

Postridie mane sonabat æs campanum senatus habendi signum: & Cardinales, qui erant Avenione, coibant cuncti, quos sequebatur Episcopus Cameracensis. Postquam Latine, fuseque proposuerat sui causam itineris, rogabatur, ut se submoveret interea, dum iniretur consilium. Deliberatio fuit longissima: & quidam censebant rem oppido duram fore, si factum pro infecto haberent, seu Papam, quem elegissent, destituerent. At Cardinalis Ambianensis, o Domini, aiebat, velimus, nolimus, Regi Galliæ, ac Imperatori, quia conjuncti sunt, pareamus oportet: nec enim vivere sine illis possumus. Imperatorem nobis conciliaremus forsitan, si Rex Franciæ a nobis staret. Sed obedire nos jubet, alioquin beneficiorum fructibus privandos. Multi sentiebant idem, ac Benedictum, ut explicaret se, urgebant. Reposuit: Cupio Ecclesiæ

clesiæ concordiam; multamque huic **Sæcul. XIV.**  
 operam dedi. At quia Papam me vo- **A. C. 1298.**  
 luit Deus, ac vos elegistis; dum vivam,  
 manebo, qui sum, nec ullius hominis, aut  
 rei causa mutabo animum. Cardinales  
 tum surgebant discordes, & abibant, ple-  
 rique infalutato Papa suo.

Tam parum inter eos convenire vi-  
 dens Episcopus cum introisset in con-  
 clave senatus ad Benedictum, Domine,  
 inquiebat, habuisti consilium: redde re-  
 sponsum mihi, ut redeam viam meam!  
 Is adhuc ardens iracundia pergebat ea-  
 dem dicere, nempe se Papam legitimum  
 esse, ac permanere velle, etiamsi morere-  
 tur ex tædio. Tum addebat: Filius  
 meus Rex Franciæ hactenus mihi vi-  
 sus vere Catholicus nuper admodum  
 falli se passus est: at subibit eum pœ-  
 nitentia. Adhibeat consilium, nihil-  
 que suscipiat, quod conscientiam tur-  
 bet! Relicto postea suggestu cubicu-  
 lum adibat suum. Episcopus in suo  
 diversorio frugaliter pransus conscenso  
 equo Villam Novam, & inde Balneo-  
 lum in Francia situm venit. Cum ibi  
 pernoctasset, Portum S. Andreæ novem  
 leucis Avenione distantem petiit; quia  
 Bucicaltum illuc advenisse audierat.

f. 98.



Sæcul. XIV.  
A. C. 1398.

§. XXII.

*Bucicaltus ad Avenionem copias ad-  
mouet.*

**B**enedicti responsum nuncianti Episcopo Bucicaltus, Domine! aiebat, tu repetes Aulam: non est, quod hic agas amplius: ego imperium Regis exequar. Cum ille postridie abiisset, Castrorum Præfectus mandata sua scribi curabat, ferrique per totam Arverniam, & Vivariensem tractum Cesseroem usque, ut subiectæ sibi copiæ procederent. Prætozem Vindomagensem iussit itinera cuncta per Rhodanum, terramque intercludere, nequis venire Avenionem possset: ipse Pontem S. Spiritus adiit, neminem secundo Rhodano devehî passurus. Deinde facialem misit, qui Benedicti palatium intraret, ac ipsum, Cardinales, civesque Avenionis cunctos provocaret ad pugnam. Qui territi Benedicto dicebant, nec velle se, nec posse bellum cum Rege Gallorum gerere. Reponebat: Urbs vestra munita est, ac rebus necessariis probe instructa. Ego Genua, & aliunde accersam militem; scribamque Regi Arragonum, ut suppetias mihi cognato & Pæpæ suo debitas ferat. Parva res vobis metum incutit. Ite, defendite urbem vestram! ego meum servabo palatium.

Ave

Avenio tam bene claudebatur, ut nemo ingredi sine permisso, nemo exire posset. Itaque Bucicaltus minabatur incolis, nisi aperirent portas, se injecturum ignes omnibus ipsorum vineis, domibusque ruri positis usque ad amnem Druentiam. Tum perculsi omisso Benedicto habebant consilium; ad quod accitis quibusdam Cardinalibus agebant: Nobis plus expedit parere Gallis, quam tueri partes periculosas: num vobis facere nobiscum libet? Cardinales, quos deficere cibaria coeperant, consentiebant: & ita simul omnes cum Praefecto castrorum paciscebantur. Transactum his est legibus, ut ipse suos introduceret in urbem, ac obsideret palatium; sed Cardinalibus, aut eorum domesticis, vel civibus vis nulla inferretur.

Benedictus, etsi graviter dolebat adeo se negligi, asseverabat tamen se vitam potius, quam dignitatem positurum suam. Palatio proinde suo inclusus haesit, ubi a longo tempore omnis generis cibaria cumulaverat. Martino Arragonum Regi scribens auxilium efflictim petiit. At Rex lecta epistola praesentibus dicebat: Num hic Sacerdos suas lites adjuvandi gratia suscipiendum mihi bellum cum Rege Gallorum putat? Profecto malum ad consilium descendisse diceret. Aulici suadebant, ut se neutiquam interponeret, sed  
 Regi

Saecul. XIV.  
 A. C. 1398.

Sæcul. XIV. Regi Franciæ pareret neutrius Papæ stue  
A. C. 1398. dium commendanti.

## §. XXIII.

*Benedictus obsidetur.*

*Vita to. 2.  
p. 1123.*

Cardinales deserto Benedicto Villam  
Novam delati Avenionem miserant  
Cardinalem Novocastrinum Præfecti mu-  
nere functurum. Hic ingressus urbem  
in Episcopi palatium immigravit; & con-  
fecta cum Bucicalto pactione sublimis  
equo per plateas ibat in vestitu rubro, sed  
sine pallio, sine tunica linea strictiore, suc-  
cinctus gladio, & baculum manu tenens,  
universo interea populo clamante: Vi-  
vat sacrum Collegium! vivat urbs Ave-  
nio! Solemnem hanc equitationem ille  
instituit 16 Septembris: deinde festo S.  
Michaëlis die tormentum bellicum con-  
tra Benedicti palatium explodi iussit:  
quem ipsum feriebant parva quædam  
fragmenta lapidis e tormento jacti. Con-  
tinuabatur oppugnatio; totamque per  
hyemem Benedictus in suo palatio man-  
sit obsessus. Multi eorum, qui cum il-  
lo inclusi erant, ex vulneribus, aut mor-  
bis in penuria victus, ac medicaminum  
occubuerunt.

§. XXIV.

§. XXIV.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1399.

*Castella parere Benedicto renuit.*

Interim Castellæ Rex Henricus regni sui Episcopis, Proceribus, Virisque doctis in consilium Compluti adhibitis condidit edictum, in quo stimulati sæpius ad cessionem Petri Lunii pertinaciam inexpugnabilem, & in Francia denegatam ei obedientiam memorat: tum adjungit: Ut nostrum de discordia Ecclesiæ dolorem, & pacis ei reddendæ studium nemo non intelligat, Benedicto deinceps intra terras nobis obnoxias nec sacris, nec profanis in rebus obtemperandum, eumque neutiquam colendum ut Papam; sed quodvis beneficium vacans per suffragia, & confirmationem, vel a proprio loci Præsule conferendum esse declaramus. Dabat 12 Dec. 1398. Episcopus Salamanticensis Didacus Annaya, qui huic conventui adfuerat, secum abstulit confectam ibi sanctionem de agendi modo, donec Papa unicus daretur, observando. Continebat puncta undecim; & Collegio Salamanticensi exhibita fuit die Martis 4 Febr. 1399.

Rayn. 1398.  
n. 25.

Libert. p.  
460.

Vigesimo ejusdem mensis Præsules Franciæ Parisiis agere concilium a Rege Carolo jussi 14 Martii de promissis, quæ prima vacaverint, beneficiis statuerunt, quod

p. 457.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1399.

quod sequitur: Ex die negatæ obedientiæ non habenda fuit, nec in posterum ducenda erit ratio promissionum Benedicti, aut Clementis, vel prioris cujusquam Papæ: sed collationes ab Episcopis, cæterisque, ad quos pertinebant, ex die illo factæ manebunt justæ, ac firmæ: nec obstabit eis ulla lis, aut reclamatio. Nonis Maji Rex edidit patentes litteras, quibus omnes Prætores suos jussit hoc præscriptum per regnum totum exequi.

## §. XXV.

*Benedictus libertatem recepit.*

*Proiss. 4.*  
*c. 98.*

*Vita to. 2.*  
*p. 116.*

Interim Benedictus Avenione assidue suo inclusus palatio, & tam arcta septus custodia tenebatur, ut nemo ingredi, exire nemo posset. Suppetebant cibaria in duos, aut tres annos: sed deerant ligna focaria. Denique penum suam in dies minui, speratamque manum subsidiariam haud venire videns Benedictus ad conditiones descendit opera Regis Arragonum, qui de ipsius liberatione Parisiis per internuncium agebat. At Gallorum Rex sibi potius mittendos ad illum Legatos censuit, qui transirent Avenionem, ac Benedictum impellerent, ut abiret pontificatu, cedenteque forsitan, aut mortuo, vel exauthorato Bonifacio tertium, qui verus esset Papa, eligi pateretur, hoc in casu

casu liberandus, & Franciæ Regis præ-  
sidio fruiturus.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1399.

Legati erant Petrus Abbas Michaëli-  
montanus, Guilielmus Tinrevillius Eques,  
ac Ægidius Campius Theologiæ Doctor.  
Avenionem delati die Veneris post Pascha  
4 Aprilis anno 1399 Benedicto Regis po-  
stulata proponebant. Annuit ea condi-  
tione, ut cum suis esset in tutela Regis.  
Mox obtinuit cibaria, & libertatem suo  
in palatio, sed non item facultatem ex-  
eundi sine consensu Regis, & Cardina-  
lium, donec pax Ecclesiæ restitueretur.

§. XXVI.

*Bonifacii nundinatio sacrorum.*

Romæ Papa Bonifacius ad coacervan-  
das pecunias multam conferebat cu-  
ram; tum ut partes sibi obnoxias in offi-  
cio contineret; tum ut Ladislao regnum  
Neapolitanum contra factionem Andega-  
vensem firmaret. Anno primo pontifi-  
catus Bonifacii permulti Clerici pauperes  
ad Romanam Curiam venerunt pro mo-  
re obtenturi gratias: sed novus erat mo-  
dus periclitandæ doctrinæ postulantium:  
nam ab istis pecuniam exigebant famuli  
Censorum id fieri haud ignorantium. Ut  
ventum est ad distribuendas gratias, Cle-  
rici pauperes in albo ultimi fuerunt: &  
gratiæ, quas impetraverant, fiebant eis

Göbel. c. 84.  
p. 274. A. 30.

*Hist. Eccles. Tom. XXIV. Mm fer-*

Sæcul. XIV.  
A.C. 1399.

*Th. Niem.*  
*c. 8.*

*Id. c. 7.*

ferme inutiles. Anno enim secundo, ac tertio Bonifacius nomen suum subscripsit multis indicibus, quibus appositus erat annus primus quasi essent indices hi confecti jam in principio primi anni pontificatus, quem susceperat 9 Novembris anno 1389. Qui ei a secretis, & cubiculis erant, hanc anni primi ascriptionem solebant vendere.

Per primos septem annos Bonifacius sacra nundinari publice non audebat ob respectum complurium Cardinalium proborum talem mercatum detestantium, quos jam sacra ornatos purpura invenerat. Clandestinam vero ejusmodi nundinationem certorum hominum opera faciebat, præsertim in designatione Præfultum: & quando ii, a quibus petebat pecuniam, non solvebant præsentem, excogitatis obtentibus variis in senatu secretiore utebatur, ut illorum promotionem retardaret, aut prorsus impediret. Cum Cardinales veteres talis mercaturæ offores alii ex aliis obiissent, Bonifacius de accepta libertate indulgendi animo suo magnopere gaudebat.

§. XXVII.

*Annata, seu beneficiorum vacantium  
reditus annui.*

Denique sub annum pontificatus sui decimum

cimum primos fructus annuos omnium Sæcul. XIV.  
 Ecclesiarum cathedralium, & abbatia- A.C. 1399.  
 rum, quæ vacarent, ærario Apostolico re-  
 servavit, ita, ut quisquis ab ipso sedem  
 episcopalem, vel abbatiam vellet accipe-  
 re, ante omnia deberet primos ejus fru-  
 ctus solvere; etiamsi possidendam capere  
 nequiret. Id enim non curabat Bonifa-  
 cius: immo sæpe significabat optare se,  
 ut impetrans careat possessione: sic enim  
 se ab alio nacturum pecuniam. Hi sunt  
 fructus anni primi, quos vocamus *Anna-*  
*tas*, & quorum initium ponitur sub ponti-  
 ficatu Bonifacii IX, quamvis antiquior sit  
 eorum origo. Ut legisti: anno 1306 Pa-  
 pa Clemens V quosdam Episcopos An-  
 gliæ id jus in Ecclesias suarum diocesium  
 a se postulare videns credidit se posse hoc  
 jus in omnia ejusdem regni beneficia si-  
 bimet tribuere. Anno 1319 Papa Joan-  
 nes XXII pro indigentia Ecclesiæ Roma-  
 næ fructus primi anni omnium beneficio-  
 rum, quæ intra triennium vacarent, sibi  
 reservans hinc exceptit episcopatus, & ab-  
 batias. At Bonifacius IX fuit is, qui an-  
 te alios rem extendit ad Præsulum digni-  
 tates, & in perpetuum.

Sup. l. 91.  
 §. 4  
 Thom. disc.  
 to. 3. p. 793.  
 n. 5.

Extrav.  
 com. de  
 præb. c. II.

§. XXVIII.

*Continuatio mercatus beneficiorum.*

Cum autem omnes illi, qui veniebant  
 Mm 2 adeptu-



Sæcul. XIV. adepturi beneficia, Romam haud gran-  
 A. C. 1399. des afferrent pecunias, usura ibi sub hoc

*Th. Niem.*

6.7.

6.8.

Papa fiebat tam frequens, tamque publi-  
 ca, ut pro noxa non haberetur amplius.  
 Bonifacius cuncta beneficia etiam non  
 reservata vendebat ascripto die obitus  
 possessorum: & quo citius hic constaret,  
 dabantur tota in Italia cursores sciscitan-  
 tes, an ægrotarent beneficiarii opulenti;  
 quibus vix mortuis illi properabant Ro-  
 mam, ac rem nunciabant suis conducto-  
 ribus. Interdum beneficium idem plu-  
 ribus eodem die apposito vendebat Papa,  
 illud tanquam vacuum cuique proponens.  
 Præterea ut inutiles redderet promissio-  
 nes a se factas, faciebat alias, quibus  
 ascripta erat dies posterior cum clausula:  
*Anteferri*. Sic agebat tam diu, ut nemo  
 aliquas deinceps emeret.

6.9.

Diarii Ascriptores inde capiebant oc-  
 casionem introducendi promissiones no-  
 vas, quæ cunctas priores, etiam prædi-  
 tas clausula: *Anteferri* evertabant: sed  
 tanto stabant pretio, ut pauci eas posse-  
 rent. Bonifacius multas regulas pro Mi-  
 nistris tabularii sanctioris, aliasque san-  
 ctiones condidit, per quas circumcidere  
 nimiam multitudinem harum promissio-  
 num velle videbatur: sed has novas re-  
 gulas solum prætexuit, ut carius vende-  
 ret earum laxamenta. Libelli supplices  
 etiam chirographo jam muniti exactis pu-  
 blicis

blicis removebantur, si quis plus offerere-  
 bat: tum enim ab offerente minus, & pro-  
 missum antea consecuto deceptum se per-  
 hibebat Papa. Anno 1398 urente Ro-  
 mam pestilentia unum idemque benefi-  
 cium interdum eadem hebdomade multis  
 est venditum, quorum nemo possessionem  
 adiit: nam omnes mors prævenerat.  
 Hæc negotiatio erat tam publica, ut eam  
 esse licitam, nec posse Papam hac in ma-  
 teria peccare plerique Curiaë Ministri con-  
 tenderent.

Sæcul. XIV.  
 A. C. 1399.

§. XXIX.

*Bonifacii causam defendit Anglia.*

Anglorum semper Bonifacio parentium  
 Rex Richardus Universitatem Oxo-  
 niensem consuluerat, an ille non esset adi-  
 gendus ad cessionem, sicut Gallia Bene-  
 dictum ad eam vellet adstringere? Re-  
 spondit illa: Hispanos, Gallosque non re-  
 prehendimus, quod abnuerint iussa falsi  
 Papæ sui, & ad cessionem illum compu-  
 lerint. Sic possunt agere falvis legibus,  
 quia diffidunt ejusdem juri: fortassis et-  
 iam cupiunt ita mederi malo, quod fece-  
 runt concitando schisma. Sed hæc ad  
 pacem via non est canonica, universalis,  
 & ineunda iis, quibus sua conscientia ni-  
 hil exprobrat.

Rayn. 1396:  
 n. 32.

Mm 3

Gra-

Sæcul. XIV.

A. C. 1399.

Gravissimum peccatum est denegare Præposito suo debitam obedientiam: quod hic fit sine necessitate: cum schisma tollendi via detur alia canonibus magis consentanea, & ad placandam ambarum partium conscientiam accommodatior, nempe concilium generale. In litteris additur: Ut res in opus redigatur, oportet, ut sanctus Pater noster, Papa Bonifacius concilium generale convocet; quo non tantum partes suas, sed & antipapam Petrum Lunium, Cardinales, ac Præfules ei adherentes accersat edicto publico, ubi diem locumque destinet; atque si contumaces illos viderit, Principes sibi obnoxios iubeat iastare Principibus reliquis, ut antipapam, & fautores ejus parere iudicio Concilii cogant, eisque indicent, Concilium insuper habita ipsorum pertinacia extinctionem schismatis persecuturum. Hæc epistola scripta est 5 Febr. 1399.

## §. XXX.

*Angliæ Regi Richardo II succedit  
Henricus.*

At eodem anno Anglia mutavit Dominum. Rex Richardus II seu Burdigalensis, homo imbecillus, & voluptati deditus se reddiderat odiosum Anglis suis, præsertim duobus patris Joanni Gandavensi Lancastræ, ac Thomæ Glocestriæ Duci-

Ducibus. Richardi conjugium cum filia <sup>Sæcul. XIV.</sup>  
 Caroli VI auxerat alienationem men- <sup>A. C. 1399.</sup>  
 tium: nam ille favere Franciæ videba-  
 tur. Res erupit in bellum apertum: Joan- <sup>Valsing.</sup>  
 nis Gandavensis extincti filius Henricus <sup>p. 359.</sup>  
 factus Lancastræ Dux ibat in Regem: <sup>Froiss. 4.</sup>  
 qui victas dedit manus, & in turrim Lon- <sup>c. 113. 114.</sup>  
 dinensem inclusus die lunæ 29 Sept. re- <sup>Henric.</sup>  
 gnium solemniter abdicavit. Postero die <sup>Knyght.</sup>  
 Martis Lancastræ Dux est agnitus Rex <sup>p. 2743.</sup>  
 sub nomine Henrici IV, ac die Lunæ 13 <sup>p. 2759.</sup>  
 Oct. coronatus.

§. XXXI.

*Alia conspiratio contra Bonifacium.*

Romæ Nicolaus Columnius cognomine  
 Prænestinus cum Joanne Columnio  
 fratre suo, & quibusdam aliis civibus Ro-  
 manis conspirabat ad eripiendam Bonifa-  
 cio profanam in urbe dominationem. Igi-  
 tur mense Januario anno 1400 nocte qua-  
 dam clanculum ingressi per portam populi  
 usque ad Capitolii portam procedebant  
 magno numero pedites, equitesque ar-  
 mati, pulsabantque fores multorum ci-  
 vium, quos ituros secum sperabant. Sed  
 nemine respondente veriti, ne Papa rem  
 comperisset, hac infecta turmatim rece-  
 debant: ac peditum quidam se abdebant  
 in vineis tum intra, tum extra urbem.  
 Orto die capti a Romanis sunt triginta &

*Th. Niem.*  
*l. 2. c. 27.*  
*Rayn. 1400.*  
*n. 4.*

M m 4 unus:

Sæcul. XIV  
A. C. 1400.  
unus: cumque deesset carnifex, protinus ex eorum numero misellus juvenis cogebatur de furca suspendere reliquos, etiam suum patrem, fratremque.

Sup. lib. 89.  
S. 49.

Papa Bonifacius in hanc violentiam, pluraque crimina, quæ Columniis tribuebat, inquiri voluit: & post initas juris vias ordinarias contra illos edidit litteras longas: ubi a pontificatu Bonifacii VIII, nempe a seculo repetit probra hujus familiæ: quibus fusius enumeratis duos fratres Nicolaum, & Joannem Prænestinum denunciat execratione devinctos, privatosque cunctis honoribus, ac bonis: & addit omnes clausulas, quæ tunc censuris severissimis jungebantur. Dabat 14 Maji anno 1400.

## §. XXXII.

*Pœnitentes albat.*

Th. Niem.  
l. 2. c. 26.

Inter crimina, quæ Bonifacius Columniis exprobrabat, conquerebatur, Nicolaum in veste candida cum quibusdam aliis ad se venisse, ut ipsum per speciem pactionis falleret. Hæ vestes candidæ singularem merentur attentionem. Anno decimo pontificatus Bonifacii quidam deceptores e Scotia egressi venerunt in Italiam, portabantque cruces testaceas sanguine permistas, & oleo humectatas ita, ut in æstivis caloribus sudare videren-

rentur. Aiebant unum e suo numero esse Prophetam Eliam e paradiso reversum; orbemque brevi periturum a terræ motu. In tota ferme Italia, ipsaque urbe Roma tam magnos pietatis motus efficiebant, ut passim spectarentur publicæ supplicationes hominum longas gestantium vestes linteas cum capitiis faciem tegentibus, & solum circa oculos parum apertis: ut sunt sacci albi pœnitentium in provinciis Galliæ meridianis.

Hac in narratione sto potissimum testimonio Theodorici Niemii, qui triginta circiter annos egerat in Italia, & hoc spectaculum ante oculos habebat suos: ac præfero eum S. Antonino Florentino tunc decem, aut duodecim duntaxat annos nato; & Platinae, qui tantum ex patre suo audita refert. Niemijs rem sic enarrat: Universus pæne populus, Sacerdotes ipsi, quin etiam Cardinales hoc pietatis æstu abrepti gerebant vestes candidas, & instructa serie procedebant nova cantantes cantica: quod cum per tredecim dies continuos fecissent, suas redibant domos. Per illud tempus pernoctabant in templis, cœnobiis, ac cœmeteriis, quæ suis excrementis profanabant; & fructibus arborum, in quas incidebant, vescebantur. Quia inibi cubabant juvenes, ac senes, mares, ac foeminæ, gravia fiebant flagitia: tandemque Aculæ in territorio Ec-

Mm 5 clesiae

Sæcul. XIV.  
A.C. 1400.

S. Ant. to. 3.  
p. 445.  
Plat. in Bonif. IX.

Sæcul. XIV. A. C. 1400.                       
 clesiae Romanæ deceptor quidam captus, subjectus tormentis, confessus crimen atrox, & combustus est: quapropter scilicet sceleris se clam submoverunt.

*S. Ant.*

Boni tamen etiam effectus aliqui cerebantur. Per duos aut tres ad summum menses, quibus durabant illæ supplicationes, dabantur tacitæ induciæ inter urbes inimicas; placabantur innumerorum odia diuturna, & capitalia; obibantur crebro Sacramenta Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ. Urbes, in quas pœnitentes illi veniebant, hospitaliter eos invitabant. Inter cantica eorum Latina & Italica erat illud: *Stabat Mater dolorosa*, quo tunc Sancto Gregorio tribuebatur.

§. XXXIII.

*Sacer annus 1400.*

*Sup. l. 89.  
 §. 69.*

*l. 95. §. 13.*

*l. 98. §. 54.*

*Th. Niem.  
 l. 2. c. 28.*

Appropinquatio anni sacri probabiliter hos pietatis motus excitaverat. Galli enim, cæterique populi, qui se Benedicto submiserant, censebant semper conformiter edictioni Bonifacii VIII an. 1300 factæ magnam indulgentiam Romæ obtinendam esse quovis anno centesimo, non quingagesimo ex præscriptione Clementis VI, nedum trigesimo tertio secundum sanctionem Urbani VI, quem non agnoverant Papam. Proinde Galli turmarim, & ingente numero adibant Romam per totum

totum annum 1400. At Rex Caro-  
 lus VI, aut ejus Consilium consecutiones  
 hujus sacræ peregrinationis metuens edi-  
 dit decretum, ubi ait: Interea hostes no-  
 stri possent intrare Galliam, sicut eos co-  
 gitare scimus, eamque imparatam ab ho-  
 minibus ac pecunia invenirent. Præter-  
 ea magna pars viæ ducentis Romam est  
 obnoxia Bonifacio ibi residenti, qui dite-  
 scere posset ex pecuniis, quas illuc defer-  
 rent subjecti nobis; atque ita fieret diffi-  
 cilior ad ineundam cessionis viam, quam  
 pro Ecclesiæ concordia elegimus. Igi-  
 tur hoc iter cunctis interdiximus; & id  
 jam ingressos volumus redire, ut primum  
 hanc voluntatem nostram compererint:  
 qui non paruerint, Clerici bonis privaban-  
 tur suis, reliqui capientur.

Plurimi tamen Galli advenerunt in  
 Italiam. Sed quod Papa cum Honora-  
 to Cajetano Fundorum Comite bellum ge-  
 reret, dispersi circa Romam milites expi-  
 labant peregrinos, quin etiam insultabant  
 foeminis nobilibus. Illi, qui venerunt Ro-  
 mam, larga illuc dona attulere. At pe-  
 stis inibi eodem sæviebat anno: nec au-  
 debat Bonifacius inde abire, ut statue-  
 rat, per æstatem liberiore cælo fruiturus.  
 Permansit ergo, ne profanum principa-  
 tum amitteret: neque tamen e thesauro  
 suo deprompsit quidquam, ut juvaret ex-  
 teros, qui Romæ hærebant ægri.

§. XXXIV.

Sæcul. XIV.  
 A. C. 1400.

*Libert. Gall.*  
 c. 462.

*Rayn. n. 2.*  
*Th. Niem.*



Sæcul. XIV.  
A. C. 1400.

## §. XXXIV.

*Imperatoris Græci Manuelis iter in  
Occidentem.*

Interea Constantinopolim assidue interclusam tenenti Bajazeto imparem se sentiens Imperator Manuel Palæologus statuit in Occidentem ipsemet venire rogatum suppeticas. Itaque nepote suo Joanne urbis custodiam agere jussu, Venetias, tum Mediolanum petiit: ubi optime habito Dux Joannes Galeatius Procomes equitum, peditumque præsidium validum adjunxit, quod illum in Galliam deduceret. Pro dignitate sua ibi exceptus Parisios advenit 3 Junii an. 1400. At ægrotante Rege dissentientes inter se Principes nullam Manueli spondebant opem. Post longam in Francia commorationem in Angliam delatum novus Rex Henricus nihilo plus adjuvit, quod sibi nondum satis regnum firmasset suum. Sic perdita opera domum illi redeundum erat.

Calch. l. 2.

p. 44.

Juven. p.

143.

Labour.

l. 20.

Monsirel. 1.

c. 4.

Rayn. n. 8.

## §. XXXV.

*Wenceslaus gradu movetur. Rupertus  
Imperator.*

Eodem anno Wenceslaus Bohemiae Rex dignitate imperatoria exutus est per Ele-

Electorum sententiam, cujus hæc erat summa: Principes, ac reliqua Imperii membra Regem Bohemiæ Wenceslaum sæpe monuerunt de indignis rebus ipsius vitio grassantibus. Resecuit quasdam Imperii partes, veluti Mediolanum, & Lombardiam, quæ magnos ei reditus ferebant: acceptaque pecunia Mediolani Ducem, ac Ticini Comitem creavit illum, qui tantum ibi quasi Minister Imperii fuerat. Alienavit etiam urbes, terrasque plures in Germania, & Italia sitas. Suis familiaribus multas vendidit membranas puras chirographo, sigilloque munitas suo: ubi, quæ volebant, scripserunt ii, quorum in manus illæ venerant.

Nunquam curæ habuit controversias, ac bella, quæ Germaniam, cæterasque Imperii terras divexant. Hinc ortæ sunt direptiones, incendia, & latrocinia, a quibus nemo tutus in terra, vel mari versatur: Clerici, laicique, agricolæ, ac mercatores in pari omnes discrimine sunt: vastantur templa, & coenobia. Denique necari iussit Episcopos, Sacerdotes, aliosque Deo sacros, vel optimæ notæ homines, quorum aliquos submergi, aut comburi voluit: nonnullos confodit ipse: hæc omnia sunt pervulgata.

Postquam igitur rem ad Summam Sedem detulimus; & illum commonitum sæpius, citatumque per desertos dies vadimo-

Sæcul. XIV.

A. C. 1400.

Ursit. p. 2.

p. 180.

Rayn. 1400.

n. 13.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1400.

dimonii fontem rite judicavimus: Nos Joannes Archiepiscopus Moguntinus omnium Electorum nomine per hanc sententiam memoratum Dominum Wenceslaum Imperio privamus ut indignum, inutilem, prodigum, ac negligentem: cunctos Imperii Principes, civitates, provincias, Optimates, ac Equites ab omni professione clientelæ, jurataque illi fide liberos declaramus: & nullam eidem ut Romanorum Regi obedientiam, nullum præstare obsequium jubemus. Hæc sententia fuit pronunciata in castro Lonsteno ad Rhenum sito die Veneris 20 Aug. 1400.

*Trith. Chr.  
Span. &  
Hirsaug.  
an. 1395.*

Moguntinus Archiepiscopus erat Joannes Nassovius frater Adolphi, qui celsam hanc sedem viginti abhinc annos tenuerat. Successor ejus Conradus Vinspergius obierat mense Octobri an. 1395. Collegium concorditer elegit Canonicum e suo numero, nempe Godefridum de Comitibus Linanganis, Virum modestum, prudentem, doctum, & hoc gradu dignum omnium judicio. At Joannes Nassovius homo pusillus, versutus, & callidus, pariter Collegii membrum, curavit, Papæ Bonifacii voluntatem tantopere sibi conciliandam, ut infirmata Godefridi electione quantumvis legitima, optatam dignitatem obtineret. Septuagies mille florenis hanc ei stetisse ajebant aliqui. Ec-  
clesiæ

clesiæ Moguntinæ præfuit viginti quatuor annos. Sæcul. XV.  
A. C. 1401.

Exauthorato Wenceslao Lonsthenii hærentes Joannes Moguntinæ, Vernerus Trevirorum, ac Fridericus Coloninæ Archiepiscopi Electores mense Septembri Rupertum Comitem Palatinum Rheni, & Bavarinæ Ducem præsentem cooptarunt Imperatorem. Lonsthenio devehebantur secundo Rheno Coloniam: ubi Fridericus Archiepiscopus in suo templo metropolitano Rupertum ut Germaniæ Regem inunxit, & coronavit 6 Januarii an. 1401. Francofurti eligendus, & Aquisgrani coronandus fuisset, nisi hæc urbes adhuc stetitissent a Wenceslao. Sed ambæ partes agnoscebant Bonifacium: quicum Rupertus consilia conferebat, ut transfret in Italiam, & coronaretur ut Imperator: quod Wenceslaus non curaverat. Id. Hirsang.  
an. 1400.  
Gobel. t. 70.  
p. 214.  
  
Rayn. 1401.  
n. 23. &c.

§. XXXVI.

*Bonifacii avaritia.*

Bonifacius exeunte hoc anno 1401, sui pontificatus 13, nimirum 22 Decembris irrita voluit omnia promissa beneficiorum, etiam clausulam: *Anteferri*, sed nondum effectum habentia. Sustulit cunctas conjunctiones parœciarum, aliorumque beneficiorum per se, aut proximum antecessorem suum factas sine gravi necessitate. Gobel. c. 87.

Sæcul. XV.  
A. C. 1401.

cessitate. Infirmavit omnes indulgentias plenas ob annum sacrum, vel iter ad Sepulchrum Domini Nostri concessas. Rescivit laxamenta legum a se decreta in gratiam Fratrum Mendicantium, ut tenerent beneficia etiam sacerdotalia. Sed omnia solum ideo revocavit, ut novas largiretur gratias, pecuniamque acciperet.

*Valsing.*  
p. 364.

In principio hujus anni, scilicet post Epiphaniam Rex Henricus Londini senatum habuit; & facta est hujusmodi sanctio: Lollardi, seu Wicleffistæ capiuntur, ubicunque tuentes pravam doctrinam suam reperti fuerint, ac dedentur proprio loci Episcopo! Si contumaces suis in opinionibus persistierint, exaugurati foro profano subjicientur! Lex ista executioni mandata fuit in quodam Sacerdote Smithfeldiæ palam combusto. Itaque Lollardi deinceps clanculum docebant; atque ut anno proximo compertum est, tradebant ea, quæ sequuntur:

p. 366.

I. Septem Sacramenta sunt tantum signa inanima, & nihil valent in forma, qua utitur Ecclesia. II. Virginitatem, ac vitam cœlibem haud probat Deus, sed imperavit matrimonium, quod est status melior. Idcirco qui consequi salutem volunt, conjugium inire, vel saltem id statutum habere debent: alioquin sunt homicidæ, ac humani generis propagatio-

nem

nem impediunt. III. Maris, ac foeminæ consensio sufficit ad matrimonium sine respectu Ecclesiæ: atque hoc ex dogmate Lollardi multa contrahebant connubia clandestina. IV. Ecclesia est synagoga Satanæ: Sacramentum Altaris est bonus panis inanini, ac turris seu castellum Antichristi: nec vero adibant templa Lollardi, ut ibi Sacramenta susciperent, colerentque Deum. V. Infans recens natus non est in templum portandus ad baptismum; cum sit Divinæ Triadis imago nullo peccato fordida, quæ fieret peior, si veniret in Sacerdotis manus. VI. Nullus nobis dies festus, nullus alio sanctior, ne Dominicus quidem: par quotidie libertas laborandi, bibendique, & comedendi. VII. Denique post hanc vitam non dantur flammæ piaculares: pro quolibet delicto satisfacimus id dolendo cum fide, ac in posterum vitando.

Eques Ludovicus Cliffordius, qui Lollardos dudum protexerat, Cantuariensi Episcopo Thomæ Aruntinio detexit has propositiones, quas abditas, verbisque obscuris involutas tenuerat. Sed mentem de iis suam clare tunc explicavit, ut ostenderet se per simplicitatem, & ignorantiam, non ex malitia cum his hæreticis junxisse consuetudinem. Hos errores doctentium nomina simul eidem tradidit.

*Hist. Eccl. Tom. XXIV. Nn §. XXXVII.*

Sæcul. XV.  
A. C. 1401.

Sæcul. XV.  
A. C. 1401.

§. XXXVII.

*Initia Joannis Hussii.*

*Trith. Chr.*  
*Hirf. an.*  
*1402. hist.*  
*Colch. Hus.*  
*Æn. Silv.*  
*hist. Bo.*

*Co. I. op. J.*  
*Huss. init.*

*Æn. Silv.*  
*p. 103.*

Tum illi usque in Bohemiam pervenerunt. Novam Pragæ Universitatem ab Imperatore Carolo IV conditam plane gubernabant Doctores Germani magna offensione Bohemorum natura ferocium, parumque tractabilium: qui Regem Wenceslaum orabant, ut exclusis exteris præfecturam scholarum indigenis daret. Ille Germanis, quod ipsum gradu movissent, infensus facile Bohemos voti damnavit. E maximis Germanorum inimicis unus erat Joannes Huss juvenis infimo natus loco, sed ingenio, & facundia insignis, in Universitate Pragensi anno 1396 Magister Artium, an. 1400 Sacerdos, & Orator in templo, cui nomen Bethlehem, annoque proximo Decanus factus. Indignati Germani bis mille numero tum Doctores, tum discipuli paulo post relicta Praga petierunt Lipsiam Misniæ urbem: ubi ex autoritate Summi Pontificis Universitatem novam instituerunt.

Quidam Bohemus nobilis e familia, cui Piscis Putridus cognomen fecit, Oxoniæ in Anglia litteras discens incidit in Wicleffi libros inscriptos *Universalis Religio*. Mire his delectabatur; & horum exemplaria abstulit, quæ continebant dispa

disputationes de Jure Civili, Divinoque, Sæcul. XV.  
 ac de Ecclesiæ, & varias quæstiones con- A. C. 1401.

tra Clerum. Suam in patriam hos libros  
 omnes detulit ut thesaurum pretiosum;  
 fiebatque studiosus sectator Wicleffi: cu-  
 jus opera commodabat Germanorum ini-  
 micis, ac speciatim Joanni Hussio. Pra-  
 gæ civis opulentus ibi templum constru-  
 xerat (Bethlehemum vocabat) ac reditu  
 dotaverat sufficiente ad alendos Concio-  
 natores duos, qui quotidie sermone Bo-  
 hemico (est dialectus quædam linguæ  
 Slavonicæ) populum docerent: id au-  
 tem munus Joanni Hussio est impositum  
 an. 1400.

Ut erat eloquens, ac probis esse mo-  
 ribus dicebatur, in aures suaviter influe-  
 bat: idque sentiens proferre multas e Wi-  
 cleffi libris sententias cœpit; quas esse  
 verissimas, & illum fuisse virum sanctum  
 dicebat, addens: Vellem post mortem  
 meam venire illuc, ubi agit ejus anima.  
 Sequebantur Hussium pœne omnes Cle-  
 rici ære alieno pressi, aut criminum, ac  
 seditionum nomine notati: sperabant  
 enim fore, ut meritas effugerent pœnas,  
 siquid novi accideret. Adjungebant se  
 illis etiam quidam docti, quod in distribu-  
 tione beneficiorum pinguium sibi præpo-  
 ni Nobiles indignos cernerent. Tandem  
 Hussius, ac discipuli ejus Valdensem er-  
 roribus ducebantur.

N n 2

§. XXXVIII.



Sæcul. XV.  
A. C. 1402.

§. XXXVIII.

*Bajazetus moritur.*

**I**n Oriente Bajazet Constantinopolim, quam assidue interclusam tenebat, relinquere debuit, ut iret in Tamerlanum *Bibl. Orient.* Mogolum Imperatorem, ac fere totius *p. 175. 877.* Asiæ Dominum. Is a quodam Ginguiscani cognato, qui sedem in Usbechia posuerat, ducebat genus, & Samarchandæ primaria illius regionis urbe primam lucem aspexerat. Genuinum ei nomen erat Timur, cognomen Lenc seu Claudus in sermone Persico. Anno Epochæ Arabicæ 771, Christi 1370 regnare coepit, ac pergebat triginta sex annis, quorum intra spatium Corasania, India, Persia, Syria potitus ad Anatoliam usque processit. Cum ibi Sebasten Turcis ademisset; & Bajazet illum a progressu arcendi caula veniret, duo exercitus sibi Ancyrae occurrebant: ubi commisso prælio magno Bajazet victus, captusque paulo post decessit anno Epochæ Arabicæ 805, Christi 1402, sui regiminis 14.

*Procos.*  
*suppl. p. 45.*

§. XXXIX.

*Benedictus liberatur.*

*Sup. §. 25.* **A**mplius quadriennio Benedictus Avenionensi palatio suo inclusus hærebat.

bat, inde nisi post redditam Ecclesiæ pa-  
 cem non exiturus: quod ne faceret, tam  
 arcta septus custodia tenebatur, ut esset  
 captivo similis. Hunc statum perosus  
 cum Robineto Braquemontio Nobili Nor-  
 manno de modo clam abeundi consilia  
 contulit. Itaque sibi providit de præsi-  
 dio quingentorum hominum, qui extra  
 urbem ipsum expectarent: & quia Robi-  
 netus eum vesperi sæpe adibat; voluit il-  
 le cum isto hac hora egredi personatus,  
 quasi esset aliquis de comitatu ejus. Id  
 factum 12 Martii an. 1403: sed adhuc  
 numerabatur annus 1402, cum Pascha in  
 15 Aprilis incideret.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1402.  
 J. Juven.  
 p. 152.  
 Labour. p.  
 461. Ms. f.

Benedictus secum portabat in bella  
 capsula divinam Hostiam: ut solebant  
 Summi Præsules in suis itineribus. Fe-  
 rebat etiam Regis epistolam, per quam is  
 negabat probasse se unquam recusatio-  
 nem obedientiæ. Relicto palatio petiit  
 quandam urbis domum: ubi præsentem  
 Galli Nobiles ei per oscula pedum præsta-  
 bant reverentiam Papæ debitam. Jussit  
 tonderi sibi barbam admodum sane pro-  
 missam: nutrierat enim pilos, quamdiu  
 inclusus erat. Egressus Avenione acces-  
 sit ad suum præsidium; quod eum dedu-  
 cebat ad vicinum oppidum nomine Ca-  
 strum Vulpium: quo advenit sub horam  
 nonam matutinam: ac eodem die per lit-

Nn 3 teras

**Sæcul. XV.**  
**A.C. 1403.**

*J. Juven.*  
*p. 153.*  
*Labour.*  
*p. 466.*

teras Regi rem indicavit, se porro ad Ecclesie concordiam propensum asserens.

Ut primum recepit libertatem, qui eum deseruerant, Cardinales, cum Hispanos ei adhærere, Gallos in eum varie affectos cernerent, reconciliare sibi ejusdem gratiam studebant. Idem agebant cives Avenionis. Benedictus hos & illos voti compotes fecit; eam vero conditionem imposuit Avenionensibus, ut palatii muros inter obsidionem vitiatos reficerent. Cardinales 29 Aprilis ad se sic volentem reversos, flexisque genibus precatos veniam ad prandium adhibuit.

Postea misit ad Regem duos Cardinales, Pictaviensem, & Salutianum. Cum Carolus eis 25 Maji in palatio ad templum S. Pauli sito sui copiam fecisset, Pictaviensis rem proposuit, oravitque, ut Benedicto rursus præstari obedientiam juberet. Remotis Cardinalibus Rex tunc suæ mentis compos deliberationem habuit. Cuncti Principes, excepto Duce Aureliæ, censebant perstandum in sententia. Sed multi opponebant: Sola Francia hoc suscepit consilium. Ex regionibus addictis antipapæ (Bonifacium intelligebant) nulla obedientiam abiecit: reliquus orbis Christianus Benedicto mansit obnoxius: Gallorum Regi daretur vitio, si solus aliter sentiret. Haud meminisset, ajebat Carolus, me consensisse unquam

quam in recusationem obedientiæ: ac Sæcul. XV.  
demum hujus restitutio decreta fuit. A. C. 1403.

## §. XL.

*Benedicto parere denuo jubetur  
Francia.*

**R**ex Parisios in Idus Majas anno 1403  
Concilium convocaverat, consultaturum, quid ad renovandam Ecclesiæ concordiam expediret. Jamque venerant magno numero Præsules, & alia Cleri membra: cum Carolus 28 ejusdem mensis hora tertia vespertina obedientiam iterum Benedicto præstari jussit urgente fratre suo Duce Aureliæ in absentia Præsulum, sed coram Cardinalibus Pictaviensi, ac Salutiano, & quibusdam de Clero Viris horum fautoribus. Post biduum Præsules, cæterique Clerici Lutetiæ versantes accersebantur ad Biturigum Ducem in palatium Turricularum prope portam S. Antonii situm: & ibi coram illo, ac ejus fratre Duce Burgundiæ Cancellarius Galliæ denunciabat Regem obedientiam Benedicto rursus præstitam velle; Ducemque Aureliæ confidere de obtinendis a Benedicto litteris Apostolicis super quibusdam modis reconciliandæ concordie. Hos scripto mandatos Cancellarius tenebat manu, petebatque Præsulum de iis sententiam. Nonnulli ajebant se Regis

*Libert.  
p. 463.*

Nn 4

impe-

Sæcul. XV.  
A. C. 1403.

imperio gesturos morem: alii cum Episcopis suarum provinciarum de illis deliberandi spatium poscebant.

Dum hæc aguntur, affertur subito præceptum Regis, ut Duces protinus ad ipsum veniant in palatium Paulianum. Aderat hora undecima: jamque Rex accingebatur ad conscendendum equum, quo veheretur ad templum Nostræ Dominæ. Huc mox se contulit sequente cum Ducibus magna Præfulum, & Cleri multitudine. Cardinalis Pictaviensis peregit sacrum de Spiritu Sancto; ac Petrus Aillius Episcopus Cameracensis sermonem habens promulgabat decretum Regis; ac Benedicti promissa Duci Aureliæ facta: de quibus postea quinque litteras Apostolicas edidit ad Ecclesiæ concordiam facilem reddendam idoneas.

p. 465.

Eodem die 30 Maji confectæ sunt regię litteræ patentes, quarum summa hæc erat: Ante quinque propemodum annos in Cleri nostri conventu statuta est detrectatio parendi Papæ Benedicto XIII, quia non inierat cessionis viam ad extinctionem schismatis, quam celerius effectura videbatur illa recusatio. Sed ubi ventum est ad executionem, fructus inde speratus non sequebatur. Cogitabamus intrusam (nempe Bonifacium) pariter a suis sectatoribus desertum iri. At contra evenit: ac ille magis, magisque obfir-

obfirmavit animum. Præterea ex Cardinalibus Pictaviensi, & Salutiano, aliisque Viris cognovimus Papam Benedictum consensisse in cessionem ab intruso pertinaciter denegatam. Insuper Cardinales quos res tangit propius, ad obsequium rediisse cernimus.

Ob hæc omnia de sententia nostrorum patruorum, & fratris nostri Ducis Aureliæ, Præsulum, & Universitatum Parisinæ, Aurelianensis, Tolosanæ, Andegavensis, & Cesseroniæ, itidem de consilio multorum regni nostri Procerum, ac Nobilium abrogamus decretum prius; & Papæ Benedicto XIII nostram, ac regni nostri obedientiam veram denuo addicimus, cunctis Prætoribus nostris diserte imperantes, ut voluntatem regiam publice denunciandam curent, ac hujus violatores severe puniant.

§. XLI.

*Beneficia conservantur.*

Benedictus re comperta volebat statuere de cunctis beneficiis, quæ post negatam obedientiam vacaverant; præsertim de abbacia Dionysiosanensi collata Philippo Viletto. Nec Regi Carolo gratificabatur per legationem oranti, ut factas interea collationes cunctas confirmaret. Ipse Dux Aureliæ tanti æstimatus

N n 5                      amicus

Sæcul. XV.  
A. C. 1403.

J. Juvon,  
p. 154.  
Sup. S. II.

Sæcul. XV.  
A. C. 1403.

*Labour.*  
p. 477.

*Libert.*  
p. 466.

amicus ejus Vindomago, ubi 3 Oct. agebat, ibat Avenionem: sed nihilo plus effecit, quanquam optime receptus. Offensus Rex convocato Consilio decrevit Beneficiariis possessionem justo titulo acceptam stabilire.

Quocirca edidit hujusmodi declarationem: Papæ Benedicto iterum geritorem jubentes volumus firmas manere quaslibet beneficiorum collationes negatæ obedientiæ tempore factas. Sed ut audimus, Papa nihilominus sacras dignitates, ac beneficia illis, quibus tum collata sunt, adimere, aliisque tribuere cogitat: & per nostri regni provincias misit, qui pecunias nimias sub nomine fructuum vacantium, aliorumve jurium per annos quadraginta perhibitorum exigèrent: quæ res gravia crearet incommoda. Nos ea præventuri sancimus, ut Præsules, ac beneficiarii per tempus recusatæ obedientiæ designati tranquilla in possessione permaneant; neque sub obtentu fructuum vacantium, procuratorum, aliarumve obligationum pecunias, vel usuras ex pensionibus non solutis pendere cogantur. Dabat 19 Dec. 1403.

§. XLII.

*Sigismundus Hungariæ Rex.*

Interim Papa Bonifacius per litteras  
Apo-

Apostolicas Calendis Octobris an. 1403 scriptas approbavit mutationem in Germania factam, nempe amotionem Wenceslai, ac electionem Ruperti Bavari sic orantis per solennem legationem Rabani Spirensis Episcopi, ac Matthæi Cracoviæ Præsulis, antea Theologiæ Professoris, qui ejus nomine Papæ jurarunt fidem.

Sæcul. XV.  
A. C. 1403.

*Th. Niem.*  
l. 2. c. 14.

*Gobel. p. 1*

244.  
*Rayn. 1403.*

n. 2. 8.

Eodem anno Bonifacius volebat promoveri Neapolitani Regis Ladislai molitionem in Hungariam: res explicanda venit. Maria Hungariæ Regina an. 1392 mortua regnum reliquerat marito suo Sigismundo Luxemburgio fratri Imperatoris Wenceslai. At Hungari Sigismundo sibi exoso in carcerem misso accivere Ladislaum tanquam propiorem Mariæ hæredem: eratque reapse, ut ista, ex Andegavensi-Sicula familia, quæ ad fratrem S. Ludovici Regis originem referebat suam. Bonifacius Ladislaum hoc ad molimen animabat, ratus ab eo partes suas defensum iri contra stirpem Luxemburgiam, cujus iram ob Wenceslaum de fastigio detractum metuebat.

*J. Thurocz.*  
p. 127.

Itaque Cardinalem Florentinum Angelum Acciajolum creavit Legatum, qui Regem Ladislaum comitaretur, & ad obtinendam Hungariam adjuvaret: illique per litteras Calendis Juniis an. 1403 datus amplissimam potestatem in hoc regnum, vicinasque terras contulit. Et vero

*Rayn. 1403.*  
n. 13.

*Th. Niem.*  
l. 2. c. 14.



Sæcul. XV.  
A. C. 1403.

vero Ladislaus transiit in Hungariam: cuius in urbe Javarino Legatus Nonis Augustis illi coronam imposuit; omnes reliquias census Ecclesiæ Romanæ ob regnum debiti octogies mille florenis aureis æstimatas remisit; atque in triennium concessit decimam de bonis ecclesiasticis ejusdem regni, rem graviter dolente Clero. At Ladislaus emissum e carcere Sigismundum collectas copias numerosas contra se ducere audiens non eum expectandum sibi, nec subeundam certaminis aleam censebat; sed velociter in Italiam rediit.

6. 18.

Sigismundus manens Hungariæ Dominus de Bonifacio & Cardinalibus acriter querebatur in epistolis ad Principes datis. Regnum ipsum, præsertim Clerus multa pertulit ex hoc principio civilis belli: incendebantur cœnobia: Sacerdotibus, Monachis, & sacris Deo Virginibus eadem, quæ hominibus profanis, pericula impendebant: denique pauci Hungari permanebant in Bonifacii curia. Postea Rex Sigismundus pro arbitrio suo statuit de episcopatibus, abbatiis, cunctisque regni beneficiis. Hos Bonifacius fructus abstulit e susceptis Ladislai partibus.

§. XLIII.

§. XLIII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1404.

*Benedictus Legatos mittit ad Bonifacium.*

Sequente anno Benedictus, ut ostenderet per se non stare, quo minus tolleretur schisma Romam mittebat Petrum Rabanum Pontiosanensem Episcopum, Petrum Zagarrigam electum Episcopum Ilerdanum, Antonium Abbatem Facundosanensem, Bertrandum Radulfum ex Ordine Minorum, & Franciscum Panium Equitem. Quinque Legatos istos sub finem Septembris an. 1404 Romam delatos Bonifacius audire noluit, nisi ab eis coleretur ut Papa. Illi, quid facerent, ignari tandem hoc inducebant in animum, considerantes hinc esse negotium magni ponderis, illinc tantum agi de ceremonia. Cum igitur admissi essent, Pontiosanensis Præsul omnium nomine loquens petebat, ut Bonifacius cum Benedicto ecclesiasticæ pacis conficiendæ causa in loco tuto colloqueretur. Cardinalibus Romanis eo propendentibus Papa promisit se responsionem decretoriam Legatis redditurum festo S. Michaëlis die: quo proinde post vespertinas preces in Vaticano palatio conventus habebatur, cui Papa, Cardinales ejus, ac multa curiæ Apostolicæ membra intererant.

*J. Juven.*

p. 164.

*Labour.*

p. 376.

*Th. Niem.*

l. 2. c. 23.

*Spicil. to. 6.*

p. 160.

Legati

Sæcul. XV.  
A. C. 1404.

Legati dexterrime ibi ac prudentissime, sed, ut Romanis visum, callide hortabantur Bonifacium, ut Ecclesie concordiam cum ipsorum Domino renovaret, quem ad eam probissime affectum asseverabant. Bonifacius parum favorabile responsum dabat, contendens se Papam, Benedictum antipapam esse, addensque alios ejusmodi sermones, qui rem neutiquam promovebant. Legati succensentes ajebant suum Dominum non esse Simoniacum. Sentiebat aculeum Papa, eosque Roma egredi jubebat. Reponebant vero: Habemus a te, populoque Romano fidem publicam, & porro per aliquod tempus hic manendi facultatem, qua uti volumus.

§. XLIV.

*Mors Bonifacii IX. Innocentius VII  
Papa.*

**B**onifacius exasperatus animo, ac præterea doloribus calculi, quo dudum laborabat, oppressus tertio, postquam lecto se commendaverat, die D. Remigio sacra 1 Octobris animam efflavit, cum sedisset quatuordecim annos, & undecim menses. Cadavere satis modeste humato in S. Petri basilica, Cardinales conclave protinus intraturos Legati Avenionenses

6. 24.

6. 34.

ses orabant, ut ne inirent suffragia: sic saecul. XV.  
 enim brevi pacem Ecclesiae redditum iri. A. C. 1404.  
 Cardinales fallaciam suspicati nulla pre-  
 cantium ratione habita conclave mox  
 adierunt.

Paulo post Neapolitanus quidam E-  
 ques Bonifacii cognatus, tum Castelli S.  
 Angeli Praefectus Benedicti Legatos eo  
 duci captivos iussit fidem publicam iis  
 datam violans. Quod edoctus Gallorum Spicil. to. 6.  
 Rex Cardinales Romanos per litteras ro- p. 169.  
 gabat, primum, ut electionem Papae dif-  
 ferrent usque ad Legatorum adventum,  
 quos missurus esset; deinde, ut Benedicti  
 Legatos in libertatem assererent. Jam  
 eam illorum jussu receperant post paucos  
 suae captivitatis dies: sed arcis Praefe-  
 ctus fere quinquies mille florenos aureos  
 eis extorserat.

Die Dominica 12 Octobris an. 1404  
 Vaticanum conclave vespere intrarunt  
 Cardinales novem, scilicet Florentinus Rayn. n. 10.  
 Angelus Acciajolus Presbyter de S. Lau- Gobel. c. 88.  
 rentio, Monopolitanus Franciscus Carbo-  
 nus de S. Susanna, Neapolitanus Henri-  
 cus Minutolus de S. Anastasia, Aquile-  
 jensis Antonius Cajetanus de S. Cæcilia,  
 Bononiensis Cosmatius Melioratus de S.  
 Cruce, Laudensis Angelus Sommerivius  
 de S. Pudentiana, Eserninus Christopho-  
 rus Maronus de S. Cyriaco, Rainaldus  
 Brancacius Diaconus de S. Vito, Landul-  
 fus

Sæcul. XV.  
A. C. 1404.

fus Maramarius de S. Nicolao. Duo ab-  
erant, Balthasar Cossa occupatus legatio-  
ne Bononiensi, & Valentinus de Quinque  
Ecclesiis in Hungaria.

Novem Cardinales conclave ingressi  
coram notariis, ac testibus solemnijura-  
mento se adstringebant singuli, ut ad Ec-  
clesiæ concordiam omni ope atque opera  
contenderent, præsertim ille, qui elige-  
retur in Papam, etiamsi deponendus esset  
pontificatus. Sanciebant simul, ut idem  
jurarent Cardinales absentes, ac novi, qui  
crearentur. Tum ferebant suffragia; &  
die Veneris 17 Octobris elegerunt Cosma-  
tium Melioratum, qui se dixit Innocen-  
tium VII.

## §. XLV.

*Initia Innocentii VII.*

Th. Niem.  
l. 2. c. 39.

Erat is Sulmone episcopi hodie Apru-  
tii urbe mediocris fortunæ parenti-  
bus ortus, optimis moribus, litterisque  
ornatus, Juris Canonici Doctor celebris,  
ac in negotiis Romanæ curiæ perquam  
versatus. Tempore Urbani VI reditus  
ærarii Apostolici colligebat in Anglia:  
tum renunciatus Episcopus Bononiensis,  
postea thesauro Papæ Urbani præfectus,  
demum Bonifacii IX vix pontificatum in-  
gressi beneficio Cardinalis evaserat. Ha-  
bebat ingenium mite, benignum, ad mi-  
seri-

sericordiam pronum, superbiæ nihil, æta-  
tem valde provectam, quando electus in  
Papam fuit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1404.

Decem post diebus, nempe 27 Oct. Rayn. n. 16.  
1404 cum Romanis fecit hujusmodi pa-  
ctiōnem: Papa Innocentius concitatos  
post obitum Papæ Bonifacii IX hac in  
urbe motus, ac ea, quæ cives quidam  
tum a Collegio Cardinalium, tum ab ipso,  
cum electus esset, postularant, confide-  
rans, ut tranquillitatem restitueret, ha-  
bita ratione precum Regis Ladislai nunc  
præsents statuit, quæ sequuntur.

Romæ delectus a Papa Senator erit,  
qui secundum sanctiones urbis omnem te-  
nebit jurisdictionem, exceptis rebus ad  
principatum pertinentibus, & criminibus  
læsæ majestatis. Erunt inibi septem  
Quæstores, qui Curatores Romani ærarii  
nuncupantur: hi modo eligentur in præ-  
sentia Papæ, cui juramentum dicent; in  
posterum autem coram Senatore: munus  
eorum bimestri spatio absolvetur, & con-  
sistet in urbis redivibus accipiendis, adhi-  
bendisque, sed sine ulla jurisdictione. Pa-  
pa, Cardinales, illius Camerarius, & sa-  
cri palatii Magister portorium, tributum-  
ve nullum pendent cunctis ab oneribus  
liberi. Populus, ac Quæstores ejus haud  
poterunt in urbem introducere militarem  
manum aliquam, nec ullos antipapæ  
nuncios, aut sectatores. Hæc pactio

n. 17.

*Hist. Eccles. Tom. XXIV, Oo vi-*

Sæcul. XV.

A. C. 1404.

*Th. Niem.**l. 2. c. 36.**Rayn. n. 14.*

videtur parum cohærere cum summo Papæ imperio.

Die Dominico quarto Nonas Novembris Papa Innocentius VII, solemniter coronatus est inter scalas & portam basilicæ Vaticanæ. Undecimo ejusdem mensis in gratiam Regis Ladislai fecit decretum, per quod promisit fore, ut negotium pacis ecclesiasticæ nequaquam conficeret, priusquam securitati hujus Principis ita providisset, ut ex consensu ambarum partium tranquillus regni Siculi possessor permaneret. Ladislaus sibi hoc modo cautum volebat, metuens, ne, si renovaretur Ecclesiæ concordia, Galli sat potentes in Italia fierent, ut Ludovicum Andegavensem Neapolitano imponerent folio.

## §. XLVI.

*Exemptorum status tempore schismatis.**Spicil. tq. 6.**p. 166.**zo. II. conc.**p. 2517.**Art. 1.*

Concilium Parisiis 21 Oct. 1404 habitum condidit octo canones pro exemptorum privilegiis durante schismate conservandis: illorum summa accipe! Cluniacenses, Cisterciensesque Monachi, & omnes reliqui exempti tum Religiosi, tum seculares eandem tenebunt rationem regendi suos, quam tenuere ante studium neutrius partis. Illi vero exempti, qui præter Papam nemini sunt obnoxii, confirma-

firmabuntur ab Episcopo dioeceseos, in qua habitant. Eliguntur jam nunc quatuor Judices Parisiis residentes cum delegandi & committendi potestate, scilicet Abbates ad S. Germanum Pratensem, & ad S. Genovesam, ac Decani Cathedralis Ecclesiae Parisinae, & ad S. Germanum Antissiodorensis: ii cunctas exemptorum causas, seu de petitione, seu de defensione agetur, etiamsi prius in curia Romana pependerit, dijudicabunt. Tenebuntur vero causam in provincia, ubi orta fuerit, alii committere, si altera partium hoc petierit. Mendicantes, ut Regulares caeteri, gradatim Judices adibunt suos, & a suis comitiis provincialibus venient ad Judices supra memoratos. Exempti episcopali jurisdictione praediti subjectos sibi poterunt noxarum, ac legum vinculis exsolvere in casibus, in quibus id possunt Episcopi. Abbates ab exemptis coenobiis durante studio neutrius partis electos confirmabunt, & faustis precepcionibus prosequantur Episcopi dioecesium, in quibus illi vivunt.

§. XLVII.

*Papae Innocentii litterae.*

Innocentius omnes ad Archiepiscopos sibi obnoxios, horum Suffraganeos, & Clerum in illorum provinciis versantem

Saecul. XV.  
A. C. 1404.

2.

3.

4.

6.

7.

Rayn. n. 12

O o 2

pro



Sæcul. XV.  
A. C. 1404.

pro more circummisit epistolam Cardinalium pro se suffragationis indicem: ubi postquam rei adjuncta exposuerat, hortabatur, ut in Calendas Novembres anni 1405 venirent Romam, aut viros idoneos mitterent concilii habendi causa, quod tollendo schismati efficacem navaret operam. Dabat 27 Dec. 1404: ac eodem die scripsit ad Reges & Principes sibi obtemperantes.

*Gobel. c. 88.*

*Speil. to. 6.*  
*p. 171.*

Id concilii agendi propositum 17 Febr. 1405 Parisinæ Universitati significabat respondens ad duas ejus epistolas mensis Novembri exaratas: ac de Legatis a Benedicto ad Bonifacium missis ajebat: Potissimum pacis ecclesiasticæ causa offerebant ei colloquium in loco certo, improbata omni alia ad illam via. Noster antecessor implicitus morbo, e quo decessit, reponebat illis se in congressum venire haud posse, instabatque, ut singulares quasdam renovandæ concordæ rationes inirent. At perstabant semper in via colloquii.

*Valsing.*  
*p. 271.*

Post Bonifacii mortem Cardinales, quorum in numero eramus, antequam conclave intrarent, accersebant Legatos: sed hi nihil novi spondebant. Cogitabamus omittere Papæ novi electionem, ac expectare, donec extinctioni schismatis provisum esset, si haberent perscriptam abdicandi pontificatus potestatem sufficientem.

cientem. Cum hanc deesse sibi dicerent, orabamus efflictim, ut mitterent e suo numero quosdam, qui eam afferrent. Negabant se credere, suum Dominum cessionis viam initurum. Ita rem enarrabat Innocentius.

Sæcul. [XV].  
A. C. 1405.

§. XLVIII.

*Molitio contra Clerum Anglicæ.*

Anglorum Rex Henricus sub festum S. Fidei diem 6 Oct. 1404 Senatum habuit. In litteris convocationis mandaverat Pro-Comitibus, ut ne regni juribus eruditos Nobiles eo mitterent; quia solum de acquirendis pecuniis ageretur: & vero hic conventus dicebatur senatus rudium. Postquam Henricus exposuerat se indigere subsidiis ad propulsandum bellum imminens: hi bardi Nobiles nihil ei suadebant aliud, quam ut omnia regni sui bona ecclesiastica suo fisco addiceret. Nos enim, ajebant, bona nostra sæpe impendimus in usus regios, & corpora nostra bellicis laboribus, ac periculis objecimus interim, dum Clerus domi manebat in otio, nec opem Regi ferebat suo. Magna de hac re contentio Clerum inter ac Ordinem Nobilium nascebatur: & Thomas Aruntinius Archiepiscopus Cantuariensis dicebat: Clerus nunquam non ad Regis emolumentum tantundem contribuit,

Sæcul. XV.  
A.C. 1405.

tribuit, quantum laici: sæpe decimam partem, aut decimam quintam solvit: ac belli tempore clientes fiduciariorum, qui sequantur Regem, non pauciores mittit, quam laici. Præterea diu noctuque sacrificia, & preces peragimus pro salute Regis, & omnium, qui ei serviunt. Is, qui Nobilium nomine loquebatur, oris specie, vocisque sono indicabat, se preces Ecclesiæ haud magni facere. Subjungebat Thomas: Video, quo vergat fortuna regni: quia spernuntur preces, quæ Deum reddunt propitium: sine religione nullum unquam imperium diu stetit. Nobilium Orator erat Eques Joannes Cheinius, qui, cum esset Diaconus, rediisse ad vitam profanam ferebatur.

Ragn. 1405  
n. 12.

Benedicti Legati relicta post electum Innocentium Roma Florentiæ subsistebant: unde Romam redeundi copiam petebant de concordia Ecclesiæ acturi. Tum Papa Innocentius epistolam similem illi, quam ad Universitatem Parisiensem miserat, Florentiæ, ac Fesularum Episcopis, duobusque aliis Doctoribus scripsit conquerens, quod Benedicti Legati dixissent se nullam habere potestatem approbandi cessionis viam, nec proposuissent aliam, præter Paparum congressum. Rem ad concilium rejiciebat in Calendas Novembris indictum; jubebatque duos Præsules ea, quæ hac in re Romæ acta fuif-

fuiſſent, in lucem proferre. Dabat 23 Sæcul. XV.  
Apr. 1405. A. C. 1405.

§. XLIX.

*Novi Cardinales Innocentii.*

Die Veneris intra hebdomadem Pentecostes undecimo, vel potius duodecimo Junii Papa Innocentius creavit undecim Cardinales, octo Presbyteros, ac tres Diaconos. Primus erat Conradus Caracciolus Nobilis Neapolitanus, *Rayn. n. 7.* qui fuerat Patriarcha Gradinus, & Archiepiscopus Nicosianus, dein Melitenſis Episcopus, modo Cardinalis Presbyter de S. Chryſogono, ac supremus Ecclesiæ Romanæ Quæstor. Secundus, Angelus Corrarius Nobilis Venetus Constantinopolitanus Patriarcha honorarius, antehac a Bonifacio IX missus Neapolim ad Ladislaum Nuncius, modo Cardinalis Presbyter de S. Marcello, postmodum Papa sub nomine Gregorii XII.

Tertius de Quatuor Coronatis Fran- *Gall. Christ.*  
ciscus ab anno 1389 per Bonifacium IX *to. I. p. 221.*  
Burdigalensis Archiepiscopus. Quartus  
de S. Martino *in Montibus* Jordanus Urſinus Archiepiscopus Neapolitanus. Quintus de S. Cruce *in Jerusalem* Joannes Melioratus, cui Papa suus patruus archiepiscopatum Ravennensem transmiserat. Sextus, Petrus Cretensis Mediolani Archi-

Sæcul. XV.  
A. C. 1405.

chiepiscopus, modo Cardinalis de duodecim Apostolis, postea Papa Alexander V. Septimus, Antonius Archionus Romanus Afculensis Episcopus, modo Cardinalis de S. Petro *ad vincula*; sed 21 Julii sequentis obiit. Octavus de S. Praxede Antonius Calvius Nobilis Romanus Tuderlinus Episcopus. Nonus, Odo Columnius ex una de præcipuis Romæ familiis Cardinalis Diaconus de S. Georgio *ad velum aureum*, postmodo Papa Martinus V ab Ecclesia tota schismate finito agnitus. Decimus, Petrus Stefanescus, seu potius Annibaldus itidem Romanus Nobilis, Cardinalis Diaconus de S. Angelo. Postremus, Joannes Ægidius natione Normannus, Doctor Juris, ac Ecclesiæ Parisinæ Præcentor: sed relictis partibus Clementis delatus Romam, & ab Urbano VI factus Præpositus Leodiensis, modo per Innocentium Cardinalis Diaconus de SS. Cosma & Damiano.

Quinque Romanos Innocentius sacra ornavit purpura, ut populi favorem sibi conciliaret: at spes eum sua destituit. Septem Quæstores urbis vocati Viri Providi, ac ærarii Curatores erant partium Gibellinarum: tantumque aberat, ut starent pactione cum Innocentio confecta, ut novam quotidie rem aliquam ab eo poscerent. Insuper Joannes Columnius se studere partibus Benedicti simulans prope

pe Romam collocaverat magnum arma-  
torum numerum urbis Quæstoribus con-  
tra Papam, & Curiam ejus succurrere pa-  
ratorum. Innocentius natura bonus, &  
pacificus illis gratificabatur, quantum po-  
terat: sed tandem per malitiam postula-  
bant tam iniqua, ut iratus reponeret: An  
non egi omnia, quæ cupiistis? Quid fa-  
cere ultra possum? Nisi forte, quod quod  
gero, pallium quoque petitis. Volebat  
dicere, se abiturum potius pontificatu,  
quam eorum importunitates laturum  
diutius.

Cum haud posset efficere, ut rationi  
locum darent, cogebatur pro corporis sui  
custodia tenere assidue Ducem Muscar-  
dam nomine cum numerosa militum ma-  
nu in vico S. Petri habitantium, quo-  
rum sustentatio majorem forsitan sum-  
ptum exigebat, quam dignitas ei sua sup-  
peditabat. Rex Ladislaus se stare a Pa-  
pa fingens cum Quæstoribus pecunia cor-  
ruptis, multisque civibus primariis collu-  
debat, urbis dominio potiturus. Papa  
habebat etiam nepotem Ludovicum Me-  
lioratum triginta natum annos, intre-  
pidum, & ad magna promptum molimi-  
na: qui, cum jam esset Nobilis scutarius,  
se Muscardæ junxit, ac molestissime fere-  
bat Papam suum patruum tam indigne  
tractari a Quæstoribus.

Sæcul. XV.  
A. C. 1405.

§. L.

*Romani quidam necantur.*

Sexto Augusti anno 1405 mane Quæstores cum aliis quibusdam Romanis venerunt ad Papam, ut cum eo transfigerent. Diu collocuti, cum nihil statuisset, sub horam prandii e palatio exierunt cum nonnullis Cardinalibus. Adhuc erant in vico S. Petri, ac prope valetudinarium publicum S. Spiritus in Saxia; cum illic habitans Ludovicus Melioratus illos ab armatis fatellitibus suis capi, & per vim ad se adduci voluit. Undecim, & inter eos duo Quæstores comprehensi, omnes ascendere in quoddam conclave iussi, vestibus ibi suis spoliati, & occisi; cadavera in vicum projecta sunt: ubi ad vespereum usque jacebant. Duodecimo cum reliquis capto superveniens Cardinalis quidam saluti fuit.

Sup. §. 49.  
Th. Niem.  
l. 2. c. 36.

Cum rumor de hac violentia per urbem percrebuisse; Quæstores fuga elapsi populum in Papam, & Curiam ejus concitabant pulsando sæpius æs campanum Capitolii: ut moris erat, cum Romani capefferent bellum contra hostes suos. Populus it turmatim in Clericos de curia: domos eorum diripit, vestes, quas gerunt, dilacerat: ipsos fustibus excipit: multos carceri mandat: Curia Romana tota trepidat.

§. LI.

§. LI.

Sæcul. XV.  
A. C. 1405.

*Innocentius Viterbium petit.*

Papa cædem se incio factam mirifice  
dolens sublatis identidem ad cælum  
oculis, quasi testem innocentiae suæ ap-  
pellaret Deum, infelicitatem lugebat  
suam, quid consilii caperet, ignarus.  
Suadebant aliqui, ut protinus exiret Ro-  
ma, nec expectaret impetum populi  
tam acriter exulcerati: alii manendum  
ei putabant, & sustinendam obsidionem,  
donec adessent urbium amicarum subsi-  
dia. Vicit tandem sententia prior: Pa-  
pa eodem vespere cum Aulicis, quotquot  
sequi poterant, profectus die tertio Viter-  
bium advenit, ubi reliquum agebat an-  
num.

*Leo. Aret.  
Ker. Ital.  
p. 254.*

Post ejus abitum Joannes Columnius  
cum suo milite S. Petri vicum ingressus  
tres circiter hebdomades in palatio ha-  
bitabat, idcirco dictus a populo ludibrii  
causa Joannes XXIII, quasi se facere Pa-  
pam voluisset. Interim Quæstores urbis  
ob cædem suorum civium exacerbati de  
Papa Innocentio, & hujus nepote Ludo-  
vico per litteras conquerebantur: dele-  
bant ubique, aut luto foedabant illius in-  
signe gentilitium, dicebantque, se illum  
non agnituros Papam amplius, sed ut Ec-  
clesiæ pacem conficerent, omnia tentatu-  
ros.

*Th. Niem.  
c. 36.*

§. LII.



SÆCUL. XV.  
A. C. 1405.

§. LII.

*Benedictus venit Genuam.*

*J. Juven.*  
*p. 170.*  
*Labour.*  
*p. 507.*

Benedictus concordiae desiderium prae se ferebat, nunquam discedens a consilio colloquii cum suo æmulo. Proinde Genuam, atque si opus esset, Romam usque ire constituit: & pro itineris sumptibus decimam Franciæ, cunctisque regionibus sibi obnoxiiis imperavit. Cum id Parisinæ Universitati displiceret; Rector, & alii quidam de illius corpore Principes ægroti Regis vicem fungentes orabant, ut ne decima hoc in regno colligeretur; vel saltem Universitas immunis esset, cum tantas jam impensas fecisset in concordiae negotium. Sed auditum non sunt: atque Principes, vel horum domestici decimæ partem naturam dicebantur. Universitas ergo statuit ad Benedictum legationem mittere: in quam insumpsit bis mille nummos sexaginta Gallicorum assium.

*S. Ant. to. 3.*  
*p. 460.* Haud multo ante Legati Franciæ Genuam profecti Rempublicam, Archiepiscopum, quin etiam Cardinalem Fiescum ibi Papæ Romani vices gerentem ad Benedicti causam adjunxerant. Tum Pisas delati effecerunt, ut civitas, ac territorium ejus totum ab Innocentio ad Benedictum desciscerent.

Hic

Hic Nicææ in Provincia conscensa na-  
 ve mense Majo anno 1405 Genuam atti-  
 git, sic receptus, ut eum ibi expectatum  
 esse constaret. Et vero hanc Rempubli-  
 cam tunc protegebat Francia: & Ca-  
 strorum Præfectus Bucicaltus Regis no-  
 mine ibi copiis præerat. Benedictus se  
 pacis ecclesiasticæ curandæ gratia venif-  
 se perhibens naves a Genuensibus postu-  
 labat se deducturas Romam. At inter-  
 veniens pestis eum haud sinebat diu Ge-  
 nuæ commorari, sed redire Massiliam  
 coëgit.

§. LIII.

*Negotium concordie retardatum.*

Exeunte Septembri Benedictus Inno-  
 centium Viterbii agentem curavit  
 impelli, ut Nunciis tractandæ concor-  
 diæ causa ad se mittendis commeandi  
 potestatem faceret. Recusabat Innocen-  
 tius haud credens illum bona fide id po-  
 scere. De repulsa conquerens Benedi-  
 ctus ajebat per se non stare, quo minus  
 fieret concordia: ita scribebat multis in  
 epistolis ad varia missis loca. Innocen-  
 tius ad eas respondit per litteras longio-  
 res, quas in multis Italiæ locis promul-  
 gari voluit. Sic ambo per sua scripta lu-  
 dentes orbem ducebant tempus, ne ce-  
 dere cogerentur, veriti.

Inno-

Sæcul. XV.

A. C. 1405.

*Labour.*

p. 513.

*Juven.*

p. 171.

*Th. Niem.*

l. 2. c. 38.

Sæcul. XV.

A.C. 1405.

Rayn. n. 15.

Sup. §. 47.

Innocentius concilium, quod in hunc annum Romam convocaverat, tum non posse celebrari videns, edebat litteras in hanc sententiam: Ut hoc infaustum schisma finiremus, obnoxios nobis Reges, Principes, Præfules, ac Universitates per litteras, & nuncios precati sumus, & hortati, ut in Calendas Novembres hujus anni ad nos, ubicunque resideremus, venirent consultatum de modis renovandæ concordæ. Postea per rem, quæ Romæ 6 Augusti accidit, Viterbium petere coacti cogitavimus rumorem de hoc casu non modo in viciniam, sed etiam longe, lateque manaturum celeriter, averfurumque invitatos ad concilium. Itaque huic diem S. Martini destinavimus. Nunc per nuncios e propinquis, remotisque locis acceptos edocti vias non esse tutas, nec facile agi conventum posse, Calendas Majas anni proximi præstituimus iis, qui venire volent, aut mittere Oratores ad deliberationem de tollendo schismate habendam non ad modum concilii generalis, sed instar peculiaris consilii. Dabat Viterbii 20 Nov. 1405. Sed ista convocatio effectu caruit.

§. XLIV.

§. LIV.

Sæcul. XV.  
A. C. 1406.

*Innocentius Romam redit.*

Interim Romani a Joanne Columnio, Ducibusque, qui a Rege Ladislao stabant, liberi per Oratores Papam Innocentium rogabant, ut Romam repeteret ibi permanens; spondebantque se reddituros ei dominatum urbis integrum, qualem Bonifacius habuisset. Lætissimus hac de re Innocentius Bartholomæo designato Episcopo Cremonensi, suoque in urbe Roma, & hujus vicinia Procuratori fecit potestatem capiendi possessionem urbis, & arcium, ut ipsi præpararet vias: mandatum dedit Viterbii 27 Jan. 1406. Secunda Martii pariter, ac jejunii verni hebdomade ingressum Romam Innocentium debito honore, ac ingenti gaudio excepit populus.

Restitutus in statum pristinum 18 Junii edebat litteras contra turbarum auctores Nicolaum, & Joannem Columnios fratres, quibus irrogatas a Bonifacio IX censuras ibi renovat, poenasque severissimas injungit. Post biduum similes in publicum dabat litteras adversus Regem Ladislaum; quem omnibus terris, ac juribus ibi privat, poenisque gravissimis afficit, annexis clausulis terribilissimis. Rex effectum timens ad Papam protinus

*Th. Niem.*  
*l. 2. c. 37. 38.*

*Rayn. 1406.*  
*n. 1.*

*Th. Niem.*  
*c. 39.*

*Rayn. n. 3.*

*n. 6.*  
*Th. Niem.*  
*c. 41.*

nus

Sæcul. XV.  
A.C. 1406.

n. 47.

nus misit Legatum: qui rem tam bene  
gessit, ut Innocentius Paulum Urfinum,  
suumque nepotem Ludovicum Meliora-  
tum ad Regem legaret. Pax, quæ 13  
Aug. 1406 confecta fuit, haud videba-  
tur sincera: quamvis Papa simul Ladis-  
laum creasset Ecclesiæ Vexillarium.

§. LV.

*Conventus Parisinus concordiae causa  
factus.*

Labour.  
p. 537.

Oratores, quas Parisina Universitas  
ad Papam Innocentium miserat, re-  
tulere Roma litteras 20 Nov. 1405 da-  
tas, quibus is in Majum conventum con-  
vocabat. Benedictus re comperta mox  
Parisios misit Cardinalem Challandinum  
ut Legatum a latere, qui obstaret, ne-  
quis hunc confessum adiret. Cardina-  
lem impediendæ concordiae causa veni-  
se cum intelligerent Galliae Principes,  
eum nec agnoscebant Legatum, nec pro  
tali dignitate coli volebant: atque in fi-  
nem Paschatis, immo Aprilis, distulerunt  
ejus alloquium, Regem ipsum huic affo-  
re causati. Pascha hoc anno 1406 inci-  
dit in undecimam Aprilis.

p. 542.

Vigesima nona hujus mensis erat,  
qua Cardinalem Challandinum in pala-  
tio audiebant Principes. Sermone Lati-  
no

no defendebat, quantum poterat, Bene-  
 dicti causam, laudibus extollens super  
 omnia susceptum ab eo consilium Ro-  
 mæ cum Innocentio colloquendi: deni-  
 que hortabatur præsentem omnes, ut Be-  
 nedicto firmiter adhærerent, si vellent  
 cernere finitum schisma. Postea sur-  
 gens loco Rectoris, qui aderat, Doctor  
 Joannes cognomento Parvus pro Univer-  
 sitate dicendi copiam petebat a Princi-  
 pibus: quam tum quidem denegatam  
 diutius instanti promittebant in decimam  
 septimam Maji. Ea die Joannes expo-  
 sito facto toto concludebat statutam  
 octo abhinc annos Benedicto parendi  
 detractionem observandam esse, dam-  
 nandam Tolosanæ Universitatis episto-  
 lam, Ecclesiamque Gallicam exactioni-  
 bus Romanæ Curie liberandam. Pun-  
 ctum postremum maxime angebat Bene-  
 dicti fautores. Principes eorum solici-  
 tationibus fatigati, occupatique insuper  
 regni negotiis rejecerunt causam ad se-  
 natum nonis Junii habendum.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1406.

Sup. 6. 19.

§. LVI.

*Universitatis Tolosanæ epistola con-  
 demnatur.*

Joannes Plaulius Theologiæ Professor  
 Parisinæ Universitatis nomine loquens  
*Hist. Eccles. Tom. XXIV. Pp im-*

Sæcul. XV.  
A. C. 1406.

*Labour.*  
*p. 544.*

impugnavit epistolam Universitatis Tolosanæ, quæ recusationem obedientiæ vocabat noxam, pro certo ponens Benedictum esse Papam legitimum, minime que dubium. Inferebat, de illius audacia ut criminosa iudicium faciendum, ac epistolam damnandam esse ut rem exempli perniciosi. Deinde Doctor Joannes Parvus memorabat, quomodo ad detractionem gerendi moris ventum esset: & addebat, ejus revocandæ animum non habuisse Galliam; atque si ad tempus ab ea decessisset, id esse factum certis conditionibus, quas Benedictus haud observasset. Exaggerabat admodum pensiones, quibus Benedictus Clerum opprimeret, ac eas colligentium asperitatem, poscebatque, ut Ecclesia Gallica iis liberaretur.

*p. 546. Ms. f.*  
*234.*  
*J. Juven.*  
*p. 179.*

Postero die 6 Junii Joannes Juvenalis Urfinus Regis Advocatus Tolosanæ Universitatis epistolam vocabat ridiculam, impotentium animorum indicem, ac in Regem injuriosam. Postulabat, ut laceraretur in loco, ubi esset composita; & ut authores ejus punirentur tanquam rei læsæ majestatis. Petebat postea, ut obedientiæ recusatio continuaretur. Denique a Benedicto imperatas Clero pecunias improbat, præsertim decimas; contendens debitas non esse, sed subsidium voluntarium, neque colligendum  
sine

sine permiffu Regis. Primum de Tolofana epiftola 17 Julii lata fuit fententia, ut Avenione, ac Tolofæ palam concerperetur: epiftolæ authores infectandi facultas Procuratori generali refervata eft. Igitur, qui cum illa venerant, & Cardinalis Challandinus velociter fe submoverunt.

Sæcul. XV.  
A.C.1406.

Bourg.  
Prouv. p.  
240.

Die fabbati 7 Augufti denegata Benedicto obedientia, quatenus ad ærarium pertinebat, vetitumque, nequa pecuniæ fuma extra regnum afportaretur. Undecimo Septembris editum comitiale decretum hujusmodi: Benedictus ac Miniſtri ejus toto in regno definent exigere annatas, feu primos fructus annuos beneficiorum vacantium, & jura procurationis; exigent vero Præfules, & Archidiaconi, dum illa obibunt. Cardinales, & Collegii Camerarius itidem ceſſabunt capere partem annatarum, uſurarumque, ac reliquorum jurium: atque ſiquid inde perceperint, in id regia injicietur manus. Qui ob memorata præſcripti fuerint, abſolventur. Hæc fient, donec aliud de iis Aula fanxerit.

Id. p. 86. 92.



Sæcul. XV.  
A. C. 1406.

§. LVII.

*Alter conventus Cleri.*

*J. Juven.*  
*p. 180.* Quia hoc decretum in rem præsentem duntaxat interpositum erat: in festum S. Martini diem indictus est Cleri conventus generalis Lutetiæ celebrandus; quo cuncti Franciæ Præsules convocarentur decisuri denique, an Benedicto rursus obedientia omnis omnino deneganda esset.

*p. 181.* Facto conventu, cum Præsules, ac Doctores non idem omnes sentirent, statutum est; ut ex iis seligerentur duodecim Theologi, & Canonici Juris periti, quorum alii pro Benedicto, alii adversus eum dicerent: quibus auditis Rex decerneret, quid sibi esset agendum. Duo primi erant Theologiæ Doctores, qui contendebant Benedicto negandam esse obedientiam.

Tertius fuit Simon Cramaldus Alexandrinus Patriarcha honorarius, ac Episcopus Pictaviensis, qui loquebatur die sabbati ante primam hebdomadem Adventui Christi sacram, nempe vigesima septima Novembris. Ut Universitatis Parisinæ auctoritatem auget, ac tolleret altius, inter alia dicebat, Julium

lium Cæsarem illam Athenis Romam, & Carolum Magnum eandem Roma Parisios transtulisse. Talis erat eruditio maximorum Doctorum illius temporis. Atque ut semel dicam, non est standum præconiis, quæ iis ejusdem temporis scriptores tribuunt: e scriptis illi suis sunt judicandi; si tamen legi patienter queant: sunt enim longissima, verbisque multis pauca comprehendunt argumenta: hinc factum, ut deliberationes finiri haud possent.

Sæcul. XV.  
A. C. 1406.

Bourg.  
Præf. 123.

Ubi Simon Cramaldus sermonem abfolverat suum; Cancellarius illos, qui Benedicti causam debebant agere, rogabat, an parati essent. Cum peterent moram, rejecti sunt in proximam diem lunæ. Hac die Guilielmus Fillastrus Juris Doctor, Ecclesiæ Remensis Decanus obedientiæ recusationem improbens, Papæ authoritatem amplificando Regis, ac Ecclesiæ Gallicæ propriam nimis minuebat sequens præjudicatas opiniones tum in Romana regnantes curia. Sabbato pridie Nonas Decembris Arme-  
lus Brevilius Archiepiscopus Turonensis a Benedicto stabat; sicut undecimo ejusdem mensis celebrer Petrus Aillius Episcopus Cameracensis, qui volebat concilium generale.

Juven.  
p. 182.  
Bourg. Pr.  
p. 125.

Pp 3

Post.

Sæcul. XV.

A. C. 1406.p. 202.  
*Juven.*  
p. 184.

Postea Petrus cognomine Rex Juris Pontificii Doctor, Michaëli - Montanus Abbas, ac Petrus Plaulius Theologiæ Doctor partes Parisinæ Universitatis defendebant. Remensis Decanus, quæ nimia pro Benedicto dixerat, excusare cupiens in sermone tamen suo affirmabat Christum S. Petro potestatem sacram, profanamque tradidisse. Tandem die lunæ 20 Decembris factus congressus ultimus: in quo primus Regis Advocatus Joannes Juvenalis Urfinus de potestate Regis agens demonstrabat eum habere jus congregandi Cleri Gallici ob Ecclesiæ negotia, etiamsi nemo id postulare illumque insuper tenere jus præsidendi confessui, curandique, ut ejus decreta executioni mandentur. Cæterum Universitati se adjungebat poscendi convocationem generalis concilii, ac detractionem ulla in re parendi Benedicto. Rogatis dein sententiis utraque statuta fuit. Post totum tempus religioni consecratum 16 Jan. 1407 conventum clausit habita Lutetiæ solemnibus supplicatio publica, cui aderant sexaginta quatuor Episcopi cum magno Abbatum numero.

## §. LVIII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1406.*Mors Innocentii VII.*

Interim Romæ novus dabatur Papa, *Gobel. p. 283.*  
 postquam Innocentius VII sexta No- *Rayn. 1406.*  
 vembris anno 1406 derepente mortuus *n. 8. 9. II.*  
 in S. Petri sepultus fuerat. Conclave  
 18 ejusdem mensis intrarunt quatuor-  
 decim Cardinales, scilicet Florentinus,  
 Angelus Episcopus Ostiensis; Neapoli-  
 tanus, Henricus Tusculanus Præsul;  
 Aquilejensis, Antonius Prænestinus An-  
 tistes; Laudensis, Angelus Presbyter  
 de S. Potentiana; Melitensis, Conra-  
 dus de S. Chrysogono; Constantinopo-  
 litanus, Angelus de S. Marco; Urfi-  
 nus, Jordanus de S. Martino; Raven-  
 nensis, Joannes de S. Cruce; Tuderti-  
 nus, Antonius de S. Praxede; Branca-  
 cius, Rainaldus Diaconus de S. Vito;  
 Barianus, Landulfus de S. Nicolao;  
 Columnius, Odo de S. Georgio, Leo-  
 dienses, Petrus de S. Angelo, & Joan-  
 nes de S. Cosma.

Hi Cardinales congregati dubitabant *Th. Niem.*  
 aliquamdiu, an novum eligerent Pa- *l. 3. c. 1.*  
 pam. Audierant enim Galliæ Princi- *Leo Aret.*  
 pes, ne schisma perpetuum esset, veri- *Ital. p. 256.*  
 tos effecisse, ut Benedictus se cessurum

Pp 4

pro-

Secul. XV.  
A. C. 1406.

*Th. Niem.*  
*l. 3. c. 2.*

*Ibid. c. 3.*

*Rayn. n. II.*

promitteret, si cederet Papa Romanus, vel huic extincto non sufficeretur novus: hæc ad concordiam via videbatur certissima. Ex parte altera metuebant, ne hæc intermissio, quæ necessario diuturna foret, gravia crearet incommoda; & interim carentes Domino Romani profanam rursus auctoritatem sibi assererent. Cardinales se mediam ituros viam putabant, si eligerent Papam, qui quasi Procurator duntaxat esset, ut pontificatu abiret.

Igitur die Martis 23 Nov. in conclavi vi tabulas confecerunt in hanc sententiam: Quatuordecim Cardinales voverunt singuli, & promiserunt Deo, ac sibi mutuo, si quis e suo numero cooptetur in summum Præfulem, eum post antipapæ cessionem, aut mortem de jure suo decessurum, dummodo commentitii hujus Cardinales cum ipsis consentiant ita, ut omnes simul unum, solumque Papam legitimis declarent suffragiis. Siquis Cardinalium absentium, vel alius quispiam sacro Collegio non aggregatus in Romanum Pontificem eligetur; Suffragatores bona curabunt fide, ut is promissum idem faciat; & intra mensem post consensum solum Romanorum Regem, antipapam, & falso creditos ejus Car-

Cardinales, Regem Franciæ, ac reliquos Sæcul. XV.  
 Principes, Præfulesque cunctos per lit- A. C. 1406.  
 teras memorata omnia edoceat. Tres  
 intra menses mittet, quo mittendos Col-  
 legium sacrum censuerit, Legatos cum  
 potestate condicendi locum congressus:  
 & utraque pars spondebit se inter pa-  
 cis negotium non creaturam Cardinales  
 novos. Has tabulas jurejurando, & sub-  
 scriptis nominibus suis confirmarunt qua-  
 tuordecim Cardinales.

§. LIX.

*Gregorius XII. Papa.*

**P**ridie Calendas Decembres Angelum Th. Niem.  
 Corrarium Venetum Theologiæ Do- l. 3. c. 1.  
 ctorem, Constantinopolitanum Patriar-  
 cham honorarium, Cardinalem Presby- Labyr. p. 38.  
 terum de S. Marco annos septuaginta Leo Aret.  
 natum, tanquam Virum vitæ sanctimo- Ital. p. 556.  
 nia, & antiqua severitate conspicuum  
 una omnes voce cooptarunt, persuasum  
 sibi habentes, illum Ecclesiæ pacem fi-  
 de optima curaturum. E conclavi egres-  
 sus tabulas, quas intus fecerat, liberri-  
 me confirmavit: & qua coronatus est, Th. Niem.  
 die orationem instituit, qua Cardinales, c. 2. 12.  
 & Administros Curix hortabatur, ut  
 cum ipso ad bonum id opus incumbe-  
 rent:

Pp 5

rent:

Sæcul. XV.  
A.C. 1406.

rent: Quamobrem summo perfusi gaudio ubique Gregorii laudes etiam scripto divulgabant. Ipse identidem de suo concordiae desiderio loquens asseverabat se velle congressus locum petere, etiam pedibus, & ope baculi, vel mari minima in scapha sibi proficiscendum esse. Cardinales, & Curia de firmo ejus proposito haud dubitabant: timebant solum, ne minus diu viveret, quam ut illud exequi posset.



HISTO.